meate and drinke. And th…
…es ſubiectes, or any of them,
…her perſonne or perſons from
…orth require the owners or occu-
…
with him or them for the ſame fare or
wages, thē the ſame owners or occu-
piers of ſuch barges, botes, or wheries
or the ſaide watermen or bargemen ſo
refuſing and euery of them, for euerye
ſuch refuſel forfait ye treble value of the
fare, farez or wag ſo refuſed: The one
half of ye ſaid trebe value of ye ſaid fare,
farez, or wagez, to be to thuſe of ye kīg, &
ye other half to hī ye wil ſue in ye behalf
whiche ſuite the partie that in the caſe
will ſue to haue hys ſuite by action of

the de… of the ſaide owners, or oc-
cupiers of ſuch barges, botes, wheries
watermen, and bargemen, as of the
…
tolle called a draught or bottel of wine Toll.
anye other taxe or impoſicion of anye
of the kings ſubiects their going in the
ſaid pathez accuſtomed vpon euery ſide
of the riuer of Seuerne there halinge Seuerne
or drawinge their boates, troughes
or veſſels, vpon peine to forfaite for e- Forf.
uery time that he or thei ſo ſhall inter-
rupt any of the kinges ſubiects, or axe,
or take anye ſuche impoſicion by what
name ſo euer it be called xl.s. The one
halfe thereof to be to the kinge & the o-

 ther

ſaid paſſagez of the ſaid riuer of Seue- Seuerne.
made for & after thē vpō any outcrye,
Freſhe ſute. hute, or freſh ſuite of or any felony, ro-
berie, murder, & manſlaughter, cōmit-
ted & done frō hencefor the. And that ye
Iuſt. of p. kings iuſtices of peace wt in euerye the
ſaid counties of Glouc. & Somerſet, at
their quarter ſeſſions, ſhal haue ful po
wer and authoritie to cal before them
al ſuch perſons, whiche hereafter ſhal
kepe any of the ſaid paſſages, or ani o-
Feries. ther fery or paſſage ouer ye ſaide water
into Wales, or the ſaid foreſt or out of
Wales or the ſaid foreſt into Englād,
Suertie and to binde them wt ſufficiēt ſuerties
with them in recogniſaunce, in ſuche
ſommes of mony as it ſhal ſeme to the
diſcrecion of the ſaide iuſtices of peace,

... or any other place
... whiche election ſhal-
be yearely at the firſte courte of Alder-
men, to be holden within the ſaid cytie
next after the firſt daie of Marche, and
the ſame eight perſons ſo elected ſhal-
be named & called the ouerſeers and ru Rulers.
lers of all whirimen and watermen,
that from and after the ſayde fyrſt day
of Marche, ſhal vſe, occupye or exerciſe
anye rowynge vppon the ſayde ryuer River.
of Thamiſe, betwixt Grauceſend and Thames.
Windſore aforeſaide whiche ſayde o-
uerſeers and rulers, ſhal kepe & main-
tayne good ordre and obedience amō- Order.
geſt the ſayde watermen accordynge
to the true meanynge of this preſente
acte. And alſo be it &c. that after the
feaſte of Penthecoſt next comming, no
per-

ther half to the partie greued that wilt ſue for the ſame &c. in the which ſuit no eſſoine &c. ſhalbe allowed. An. 23. H. 8. capitulo. 12.

10 ¶ Euery perſon or perſons taking vpon him or them to haue & kepe anye of the ſaide paſſages, or any other paſſages vpon Seuerne aforeſaide, from henceforth do not conueye nother cary with any maner barge, boate, or other veſſell, any perſon or perſones, wt horſes, mares, oxen, kie, or any other cattall, nor no other perſon or perſons, before the time of the ſunne riſinge in the morning, & after the time of the ſunne being gone downe at night, vpō peine of impriſonmēt, & fine to ſet on him that ſhal ſo conueigh or cary ouer any of ye ſaid paſſagez of the ſaid riuer of Seue-

made for & after thē vpō any outcrye hute, or freſh ſuit [illegible]

Feries. Seuerne, Cary.

Time

Impriſ.

Seuerne.

Freſhe ſute.

that thei and euery of them being paſſangers and kepers of feries and paſſages, as is aforeſaid, from henceforth ſhall not after the ſaid times before limitted and appointed, conueye or cary or cauſe to be conueyed or caried anye maner of perſon or perſonnes, or anye kynde of cattall, but ſuche perſons as they do knowe and will aunſwere for & knowe where theyr abidings, dwellinges, and habitacions be and vppon requeſt made to them or any of theym as is aboueſaide, ſhall from tyme to time diſclose, as well the ſame perſon, or perſons, as the goodes, and cattalls ſo paſſinge the ſaide paſſages vppon freſh ſuit made or hereafter to be mad vpon any felony, murder, or robberie, cōmitted and done in ye borders of the counties aforeſaide, or any other place [illegible]

Feires.

Not cary.

Knowe.

Diſcloſe.

of manſlaughter doth enſue. And ouer that the poore huſbandmen, and other houſeholders, dwelling nighe aboute where ſuch feries bẽ vſed, can haue no ſeruaunts, that will ſerue by the yere, but onely by the weke, & at the wekes ende to bee at their libertie to the entẽt that thei may be watermen, for theyr ſinguler and exceſſiue lucre in that behalfe: Be it therefore &c. that the ſayde laudable cuſtome and vſages, in maner and forme afore reherſed, be obſerued and kepte and duely put execucion in euery point. And that all and euery the watermen, rowinge in great barges with any lorde or lords or other pſon or perſons, what ſoeuer they bee, take no more for his wages or laboure by the day than. vi. d without meat or drinke, except he ro[...]

...ries.
...ruantes.
...ter men
...ſerued.
...er men.
...ges.
...e.

dette, in formaciõ, or preſentmẽt, & the partie defendant there not to be admitted to wage his lawe, ne to be eſſoined ne protection for him to be allowed in the ſame. And ouer that bee it lefull to the bailifes, conſtables, and other of the kings officers, and euery of them, in euery place next adioynant, where the ſaide feries ben exerciſed, vpon complaint to them or anye of them thereof made by any of the kinges ſubiects, of any other perſon or perſons, that finde them greued in that behalfe, areſt the ſaide offender or offenders, and to cõmit them to warde for their miſdemener, & to make fine for the ſame. And that the iuſtices of peace of euery ſhire where the ſaide feries ben exerciſed the Maire and Sheriffes of London, and

Baylifes. Conſtabels.
Impriſ.
Juſt. of p. Feries.

Syn. 8. 63. 223

DIALOGORUM SACRORUM

LIBRI IIII,

Et ad linguam rectè formandam, & ad vitam ſanctè inſtituendam, Chriſtianæ juventuti apprimè utiles.

Autore

SEBASTIANO CASTALIONE.

Editio noviſſima, ſuperioribus longè correctior.

Protrepticon.

Sive velis promptè voces proferre Latinas;
Hiſtorias ſacras diſcere ſive velis:
En tibi conductum modica mercede Magiſtrum!
Caſtalioni operam des modò, utrumque dabit.

CANTABRIGIÆ:
Ex Academiæ celeberrimæ Typographeo. 1633.

SEBASTIANUS CASTA-
LIO Chriſtianis lectoribus S.

HOs dialogos, fratres chariſſimi, compoſuimus, ut pueri haberent unde eâdem operâ & mores Chriſtianos & orationem Latinam diſcerent. Itaque eorum ruditati in primo libro ſervivimus, ſermone facillimo, eóque minùs eleganti, & tamen Latino utentes, & pueris quaſi præmanſum cibum in os ingerentes. In cæteris jam elegantiùs loqui cœpimus. Quòd autem Dei nomen *Jehova* Hebræum uſurpavimus, quòd nullum Dei proprium nomen Latinè extat, niſi fortè Jupiter; (ſed id ut pollutum omittamus) id etſi principio videbitur fortaſſe durius, tamen uſu molleſcet: & quod inſuetum aures radet, idem uſitatum demulcebit. *Valete.*

176.02

DIALOGORUM SACRORUM SEBASTIANI Caſtalionis liber primus.

ADAMUS. Gen. 3.

ARGUMENTUM.

Serpens Evam, & Eva porrò Adamum impellit ad veſcendum fructu vetito: Deus verò ipſos tres ad totidem pœnas damnat.

Serpens, Eva, Adamus, Jehova.

CUr vetuit vos Deus veſci ex omnibus arboribus pomarii? E. *Licet nobis veſci fructibus arborum pomarii: tantùm Deus nobis interdixit eâ arbore, quæ eſt in medio pomario, nè veſceremur fructu ejus, néve etiam attingeremus, niſi vellemus mori.* S. *Nequaquam moriemini propterea: ſed ſcit Deus, ſi comederitis de eo, tum oculos vobis apertum iri, atque itâ vos fore tanquam deos, ſcientes boni atque mali.* E. *Itâ planè videtur, & fructus ipſe eſt pulcher ſanè viſu: neſcio an ſit itâ dulcis guſtatu; veruntamen experiar. Vah quàm dulcis eſt! impertiendum eſt etiam marito. Mi vir, ſi ſcires quàm ſapidus ſit hic fructus, jamdudum comediſſes. Accipe.* A. *Quando itâ vis, faciam. Ah! flagitium fecimus.* E. *Quid eſt?* A. *Nónne vides miſera, nos eſſe nudos?* E. *Video, & me pudet: ſed quid nobis faciendum eſt?*

A. *Texamus nobis ſubligacula ex foliis, quibus tegamus pudenda.* E. *Bene mones: & eſt hîc ficus foliis magnis & aptis huic rei.* A. *Sed ô nos infelices! videor mihi audire vocem.* E. *Jehova eſt. Miſeram me! vereor nè deprehendat nos nudos. Abdamus nos in hoc denſum nemus.* J. *Heus, heus Adame, ubi es?* A. *Auditâ voce tuâ in pomario, territus ſum; & quia nudus eram, abſcondi me.* J. *Unde didiciſti te eſſe nudum? Numnam comediſti de arbore de qua præceperam tibi nè comederes?* A. *Comêdi quidem, ſed præbuit mulier, quam tu adjunxiſti mihi.* J. *Quidnam feciſti, mulier?* E. *Decepta à ſerpente comêdi.* J. *Quoniam iſtud feciſti, ſerpens, tu eris deteſtabiliſſima omnium beſtiarũ, omniúmque animalium terreſtrium, & incedes in pectus, & vorabis pulverem quamdiu vives. Quinetiam conciliabo tantas inimicitias inter te & mulierem, intérque ſemen tuum & ejus, ut id conterat tibi caput, tu autem ei calcem. Te quoque, fœmina, afficiam plurimis doloribus & ærumnis, ut cum dolore parias, & tota pendeas ex imperio viri tui. Et tu, Adame, quoniam morem gerens uxori tuæ comediſti de arbore, cujus eſu interdixeram tibi, habebis terram infœcundam tuâ culpâ, & ex ea quæres victum laborioſè dum vives, cùm interim ipſa procreabit tibi carduos & ſentes. Tu veſcêris herbis è terrâ naſcentibus, & cum ſudore vultus tolerabis victum, donec redeas in terram ex qua ortus es: nam pulvis es, & in pulverem redibis.*

SENTENTIA.

Ob unius hominis inobedientiam mors intravit in mundum Diſce, puer, obedientiam.

CAINUS

CAINUS. Gen. 4.

ARGUMENTUM.

Deus Cainum damnat ob fratricidium.

Jehova, Cainus.

CAine, ubi eſt Abel frater tuus? C. *Neſcio: nunquid ego ſum cuſtos fratris mei?* J. *Quid feciſti? ipſe ſanguis fratris tui edit ad me clamorem de terra. Quamobrem utêris terrâ infeſtâ, ut qua aperto ore hauſerit ſanguinem fratris tui de tua manu: ea non præbeat ampliùs vim ſuam tibi colenti. Tu errabis vagus per orbem terrarum.* C. *Mea culpa eſt major quàm ut poſſit remitti. En ego hodie exterminatus à te, ex ipſo ſolo terrarum, errabo vagus per orbem terrarum, fugiens tuum conſpectum: ità ut qui proximus invenerit me, interficiat.* J. *Imò verò quicunque interfecerit Cainum, ſubibit pœnam ſeptuli. Quare apponam tibi hanc notam, nè, ſi quis inciderit in te, perimat te.*

Sent. Injuſti nequeunt ferre juſtos. Quæ clàm perpetrantur, palàm punientur.

LOTUS. Gen. 18. & 19.

ARGUMENTUM.

Abrahamus excipit Genios hoſpitio, & Jehova ei prolem promittit, conſiliúmq; ſuum de Sodomæ everſione patefacit: idem facit deinde Lotus, & à Geniis eripitur ex periculo.

Abrahamus, Jehova, Genii duo, Puer, Sara, Lotus, Uxor Loti, Sodomitani.

VIdeo tres homines adverſum me. Non dubium eſt, quin ſint defeſſi de via, præſertim hoc tanto æſtu: quare curram eis obviàm, ut retineã eos apud me. Domine, ſi vis facere mihi gratiſſimum, noli aliò potiùs divertere, quàm ad me. Lavabitis pedes pauculâ aquâ adhibitâ, deinde requieſcetis ſub arbore. Ego in-

terea curabo vobis parandum panem, ut recreetis animos veſtros, deinde pergatis. Hæc eſt vobis idonea cauſa divertendi ad me. G. *Sic faciemus.* A. *Jam propero in caſam. Sara, ſume properè tria ſata farinæ ſiligineæ, ex qua depſiticos facias panes ſubcineritios. Nam adventant nobis hoſpites, quos ego volo accipere lauté. Itaque jam curro ad bovile: volo enim mactare vitulũ quo eos tractem opiparé. Tu interea cura, ut nihil deſit eis, quod opus ſit hoſpitibus.* S. *Fiet. Propterea, Hagar, incende ignem, tepefac aquam ad depſendum, dum ego promo farinam. Agè jam, dum aqua tepeſit, para mactram, ſubige farinam: expediamus omnia quæ juſſit herus.* A. *Macta eum expedité, puer. Heus Sara.* S. *Quid vis, mi vir?* A. *Cura nobis luculentum focum.* S. *Jam accenſus eſt.* A. *Impone ahenum. Volo ego hoſpites meos curari diligentiſſimè atque humaniſſimé. Eſtne adhuc detracta pellis iſti vitulo, puer?* P. *Imò jam diſſectus eſt.* A. *Conjiciamus hæc fruſta in ahenum. Subjice tu plura ligna, ut coquantur celeriùs. Deſpuma jus Hagar, inſtrue menſam: ſed foris in umbraculo, ſub arbore. Nihil libentiùs quàm viatoribus benefacio: & certè eos negligere inhumanum eſt. Hoſpites, omnia ſunt parata: accumbite, & veſcimini læto animo: habetis hîc butyrum, habetis & lac. Boni conſulite quod adeſt, quódque Deus largitur in præſentia. Puer, appone eis vitulinam.* J. *Ubi eſt Sara uxor tua?* A. *Adeſt in tabernaculo.* J. *Cùm reviſam te eâdem tempeſtate anni qua nunc eſt, habebit Sara uxor tua filium.* S. *Ha ha ha! ridiculum. Ego jam vieta ſum; & indulgebo voluptati, ſcilicet cùm meus quoque dominus conſenuerit?* J. *Cur tandem ridet Sara, negans*

ſe poſſe parere, quia conſenuit? éſtne aliquid quod Jehova non poſſit efficere? Cùm reviſam te, inquam, anno vertente, habebit Sara filium S. *ego non riſi.* J. *Imò verò riſiſti.* G. *Sed jam pergamus conficere iter reliquum.* A. *Ego comitabor vos, niſi moleſtum eſt.* J. *Egóne ut celem Abrahamum de eo quod ſum facturus, ex quo profectura ſit gens maxima & potentiſſima, per quem omnes gentes orbis terrarum ſint conſecuturæ felicitatem? Nam certò ſcio eum præcepturum eſſe ſuis liberis, & porrò ſuæ in poſterum ſtirpi, ut vivant ex meo præſcripto, & colant juſtitiam atque jus, ut ego præſtem Abrahamo quæ promiſi ei: profectò non celabo. Abrahame, volo tibi indicare qui ſim, & quò eam. Ego ſum Jehova. Cùm viderem diſſipatos eſſe rumores de tot tantiſque flagitiis Sodomitanorum & Gomorrhæorum, ſtatui devenire huc, & explorare, utrùm ſint planè profligati, quemadmodum accepi famâ & auditione, an non ſint.* G. *Nos quidem antecedamus.* A. *Sed quid? perdéſne etiam bonos unà cum improbis? Si erunt quinquaginta boni viri in urbe, an etiam perdes? neque ignoſces illi loco, propter illos quinquaginta bonos qui erunt in eo? Abſit ut tu ſic facias, ut interficias bonos cum malis, ſítque eadem conditio proborum & improborum. Abſit ut tu, qui moderaris totum orbem terrarum, non facias æquum.* J. *Si invenero in urbe Sodoma quinquaginta viros bonos, ignoſcam toti loco propter eos.* A. *Facio fortaſſe audacter, qui audeam alloqui te Dominum meum, ipſe pulvis & cinis: ſed tamen ſi fortè defuerint quinque de quinquaginta bonis, an propter quinque excindes totam urbem?* J. *Non evertam, ſi invenero ibi quadraginta quin-*

que viros bonos. A. *Quid ſi quadraginta?* J. *Etiam propter quadraginta abſtinebo.* A. *Quæſo nè ægrè feras, Domine, ſi pergo quærere. Quid ſi triginta?* J. *Etiam ſic abſtinebo.* A. *Poſſum videri audacior, qui alloquar Dominum meum. Quid ſi viginti?* J. *Etiam eorum causâ non pervertam.* A. *Interrogabo te hoc poſtremum, ſi tibi gravis non ſim. Quid ſi decem?* J. *Propter decem non evertam.* G. *Jam adveſperaſcit, & nos appropinquamus urbi.* L. *Video huc adventare duos hoſpites. Ibo eis obviàm, ut eos deducam ad me. Salvete, viri præſtantiſſimi.* G. *Salve & tu, vir humaniſſime.* L. *Peto à vobis, ut divertamini in meam domum, ut ibi lotis pedibus pernoctetis, cras repetituri veſtrum iter.* G. *Imò pernoctabimus in foro.* L. *At ego non patiar: divertimini ad me: accipiam vos ſi non lautè, at certè hilarè.* G. *Fortaſſe erimus tibi graves.* L. *Jucundi potiùs: nè veremini. Tam mihi erit gratum vos accipere hoſpitio, quàm eſſet accipi à vobis, ſi iſtîc eſſem.* G. *Poſtquam tantopere vis, nolumus eſſe pertinaces.* L. *Ergò ſequimini me. Hîc eſt mea domus: intrate; quod bonum ſit. Vxor, cura calefaciendam aquam ad lavandos pedes horum hoſpitum, & ſimul confice panes coquendos in foco. Vos interea hîc requieſcite, dum paratur cœna. Agè jam, uxor, inſtrue menſam: fac ut omnia ſint nitidiſſima, nè quid offendat animos horum. Hoſpites, accumbite, utimini læto animo his quæ ſuppeditantur nobis in præſentia, divinâ benignitate. Sed quid? Quem tumultum audio, uxor? quis eſt iſte clamor? quæ turba excitantur?* U. *Hei mihi! periimus, mi vir.* L. *Quid tandem eſt mali?* U. *Tota civitas, mi vir, obſidet ædes noſtras.*

Juvenes,

Juvenes, ſenes, denique univerſi circumſident nos. L. *Valde vereor, quò hæc evaſura ſint. Sed audio clamantes.* So. *Heus heus Lote, ubi ſunt homines iſti qui venerunt ad te ſub noctem? Produc eos nobis, ut eos cognoſcamus.* L. *O flagitium! ſed nè trepidate, hoſpites: exibo ad eos, & obſerabo poſt me januam. Adſum. quid clamatis?* So. *Volumus videre hoſpites qui diverſantur apud te.* L. *Obſecro vos fratres mei, nè tantum ſcelus faciatis. Sunt mihi duæ filiæ, adhuc à viris integræ, eas malo dedere veſtræ libidini, quàm ſinere ut quid noceatis his hominibus, qui commiſerunt ſe ſub præſidium mei tecti.* S. *Recede pauliſper iſtùc, ut conſultemus de iſta re. Quid faciemus, populares? accipiemúſne puellas eâ conditione ut dimittamus juvenes?* Al. *Non eſt opus longâ deliberatione. Iſte unus peregrinatur in noſtra civitate; & nos reget, ſi diis placet.* So. *Jam te, Lote, pejùs mulctabimus quàm ipſos: nè putes nos velle ſubjici peregrinis. Agité, invadamus eum.* G. *Recipe te confeſtim ad nos, Lote.* L. *O facinus audax! O profligatam & perditam nationem! Obſcremus fores firmiſſimé.* S. *Effringamus fores, occidamus iſtos advenas qui, cùm nuſquam poſſint habitare, veniunt ad nos.* G. *Nè trepida, hoſpes: nunquam irrumpent nobis invitis.* L. *O inauditam nequitiam! Siccine hîc violari hoſpites & peregrinos, quorum jus debet eſſe ſanctiſſimum?* G. *Seda teipſum. Jam videbis ultionem præſentē.* S. *Quid eſt hoc, ô cives? ſúmne ego cæcus, an obortæ ſunt tenebræ denſiſſimæ?* Al. *Neſcio quid accidat aliis: ſed ego non magìs diſpicio oculis, quàm calcibus. Ubi eſt janua?* Al. *Cave, cave nè incidas in me. Hei mihi! fregi frontem ad parietem.* Al. *At ego neſcio terrarum*

rum ubi ſim, neque poſſum invenire exitum ex hoc loco neque ingreſſum in alium. G. *Lote, ſi quos habes prætereà generos, aut filios, aut filias, denique quoſcunque habes in urbe, educ ex hoc loco: Nam nos quidem jam delebimus hunc locum. Huc enim ad hoc ipſum miſſi ſumus à Jehova, apud quem increbuit tanta importunitas horum.* L. *Habeo vobis gratiam, qui habeatis rationem non ſolùm meæ ſalutis, ſed etiam meorum. Jam adeo eos.* Ux. *Valde ſum ſollicita de meo viro, qui eſt egreſſus domo: ità conſceleratus eſt hic totus populus. Metuo nè quid graviùs patiatur, etiam à ſuis. Nam hodie nulla ſancta fides eſt, nè inter fratres quidem.* L. *Jam redeo.* G. *Quid egiſti?* L. *Viſus ſum jocari iis, quorum ſaluti providebam.* G. *Homines ſunt deſperati. Pereãt, quoniam nolunt ſervari. Sed jam diluculum eſt, & tempus admonet emigrandum eſſe hinc. Agedum, adjunge tibi uxorem tuam, & tuas filias, nè aggregeris ad interitum tam perditæ civitatis. Quid cunctaris? nunquam poteſt nimis maturè vitari periculum.* L. *Atqui non videtur emigrandum tam mané.* G. *Atqui nos non ſinemus te perire, quin potiùs manu educemus & te, & tuam conjugem, & filias. Agite, exeamus ex urbe. Sed cave, ſi tuam vitã amas, nè reſpicias poſt tergum, néve uſquã morêris in planitie. Evade in montes, nè pereas.* L. *Peto à te, Domine, ut remittas hoc mihi, poſtquam tu pro tua benignitate devincis me tanto beneficio, ut cuſtodias mihi vitam. Certè non potero evadere in montes, quin me attingat illud malum, quo moriar. Sed eſt hîc propinquum oppidum ad confugiendum, in quo quæſo ut liceat mihi evadere, & ità conſulere vitæ meæ: eſt ſanè perparvum.* G. *Etiam in hac re indulgebo tibi, ut*

non

non evertam iſtud oppidum. Confer te illò ; neque enim licet mihi facere quicquam, quin tu eò perveneris.

Sent. Deus verſatur cum piis, eiſque patefacit arcana ſua, & eos remuneratur & tuetur. Mavult Deus ut innumerabiles impii vivāt, quàm ut vel unus pius unà cum illis pereat. Major eſt Dei in unum pium amor, quàm in omnes impios odium; quem quidem ejus amorem debent imitari pii.

ARGUMENTUM.

Gen. 22. Abrahamus, juſſu Dei, filium ſuum Iſaacum vult immolare. Deinde, prohibente Deo, immolat arietem.

Abrahamus, Iſaacus, Genius.

JAm tertium diem iter facimus, & videor videre procul locum deſtinatum ſacrificio. Vos hîc operimini unà cum aſino, dum ego & puer imus illuc, ut adoremus Deum, poſtea redituri ad vos. Tu, Iſaace, portabis hæc ligna ad comburendam hoſtiam, ego feram ignem & cultrum. Eamus. Iſa. *Mi pater.* A. *Quid vis, mi fili?* Iſa. *Hîc quidem eſt ignis & ligna, ſed ubi eſt agnus jam immolandus?* A. *Deus providebit ipſe ſibi agnum in ſacrificium, fili; nos interea pergamus. Ecce, venimus in locum quem Deus dicebat mihi; conſtruamus hîc aram. Rectè eſt, diſponamus lignum. Nunc, fili mi, oportet ut te colligem mactémque, quando ità viſum eſt Deo optimo maximo, cujus voluntati reſiſtere nefas eſt.* Iſa. *Mi pater, ſi ità certum eſt Deo; fiat. Nam didici ei tibíque parere in rebus omnibus.* A. *Pater omnipotens, cujus eſt imperare, obſequor tuis juſſis, tibíque macto hanc hoſtiã, hoc cultro, meâ ipſius dextrâ.* G. *Abrahame, Abrahame.* A. *Quis me vocat?* G. *Cave nè afferas manum puero, cave nè lædas. Jam enim mihi ſatis perſpecta eſt tua religio & pietas, qui propter me non peperceris filio, eíque unico.* A. *Hem! quid hoc rei eſt? Sed videóne arietem in dumo hærentem cornibus? Salva*

res

res eſt: vivet Iſaacus: hac mactabitur gratior Deo victima.

Sent. Nihil tam difficile aut durum eſt, quin id poſſit qui credit. Deus ſuorum pietatem remuneratur.

EPHRON. Gen. 23.

ARGUMENTUM.

Abrahamus mercatur ab Hettæis fundum ad ſepulturam Saræ uxoris ſuæ.

Abrahamus, Hettai, Ephron.

Ego ſum peregrinus & advena inter vos, Hettai: quare tribuite mihi poſſeſſionē ſepulturæ inter veſtras, ubi ſepeliam Saram conjugem meam, quæ mortua eſt, ut ſcitis. H. *Attende nos, Domine. Tu es quidem princeps divinus in nobis: tuum eſt eligere è noſtris ſepulchretis, ubi inhumes tuum mortuum. Nemo noſtrūm prohibebit te ſuo ſepulchro, quò minùs ſepelias in eo.* A. *Ago vobis gratias pro veſtra tanta humanitate ac liberalitate. Sed ſi vobis cordi eſt, ut ſepeliam meum defunctum, & auferam è conſpectu meo, concedite mihi præterea, ut agatis pro me cum Ephrone filio Sigoris, ut attribuat mihi cavernam duplicem, quam habet in extremo ſui agri: & attribuat juſto argento, in veſtra præſentia, in uſum ſepulchri.* E. *Auſculta mihi potiùs, Domine. Ego tibi dono & agrum, & cavernam agri, & quidem in præſentia meorum popularium: ſepeli tuum mortuum.* A. *Imò tu potiùs auſculta mihi. Ego ſolvam tibi pecuniam pro agro; eam tu accipe à me.* E. *Domine, attende. Hic fundus, quo de agitur inter nos, eſt quadringentis ſiclis argenti: ſi vis ſepelire tanti.* A. *Accipio tanti. Et jam appendam tibi præſentem pecuniam. Vos Hettai, eſtote teſtes, ut Ephron addicat mihi in poſſeſſionem, quadringentis his ſiclis argenti, agrum ſuum*

duplici caverna; qui ager eſt è regione Mambra, id eſt, Hebronis, unà cum ipſa caverna, & omnibus arboribus quæ ſunt undique in toto ſpatio ejus. E. *addico.* H. *Teſtes erimus.*

Sent. Juſtitia commendat hominem apud eos qui non ſunt omnino perditi.

REBECCA. Gen. 24.

ARGUMENTUM.

Diſpenſator Abrahami ducit Rebeccam filiam Bathuelis Meſopotamii in matrimonium Iſaaco herili filio.

Diſpenſator Abrahami, Rebecca, Laban, Bathuel.

H*Eus, heus puella, da mihi bibere paululum aquæ ex tua urna.* R. *Imò verò perlibet, vir optime: hem bibe. Quinetiam adaquabo tuos camelos, quantum ſat erit.* D. *At ego te, pro iſto beneficio, dono hâc inaure, atque his duabus armillis. Sed agé, fac ſciam cujus ſis filia, & an ſit in ædibus tui patris locus ubi poſſimus pernoctare.* R. *Equidem ſum filia Bathuelis, quem Melca peperit ex Nachore. Straminis autem & pabuli apud nos affatim eſt, necnon locus ad pernoctandum.* Sed *ego curro in oppidum, ut nuntiem hæc omnia domi, ità ut habent.* D. *Ago tibi gratias, Jehova, quòd non deſtituiſti tuâ bonitate & fide Abrahamum herum meum, cultorem tui: qui me deduxeris per eam viam quâ venirem domum cognatorum domini mei.* L. *Ain' tu?* R. *Ità eſt.* L. *Et dono dedit tibi iſtam inaurem & armillas?* R. *Etiam.* L. *Ubi reliquiſti?* R. *Ad fontem ecce eum tibi apud camelos!* L. *Precor tibi Jehovam propitium, homo.* D. *Et ego tibi viciſſim, vir humaniſſime.* L. *Narravit nobis hæc ſoror mea Rebecca, quinam ſis, & unde venias. Quod cùm primùm audivi, ſtatim curavi parari tibi diverſorium, & tuis camelis*

camelis ſtabulum, nè foris maneas. Quamobrem ſequere me. D. *Ago tibi gratias pro tanta comitate & diligentia. Sequor.* L. *Eamus hàc. Hîc ſunt ædes noſtræ. Vos curate hos camelos ſtramine & pabulo. Vos afferte aquam lavandis pedibus hujus, & comitum. Bene eſt, accumbite.* D. *Dabitis mihi veniam: Non capiam cibum quin priùs dixero cujus causâ huc venerim.* L. *Dic ergò.* D. *Ego ſum ſervus Abrahami, hominis, quem Deus ditavit mirum in modum ove, caprâ, bove, argento, auro, ſervis, ancillis, camelis, atque aſinis: cui etiam jam ſeni Sara uxor peperit filium, quem ipſe conſtituit hæredem ex aſſe, méque etiam jurejurando aſtrinxit, nè locarem ei nuptam quæ eſſet ex Chananæis, in quorum terra habitaret ipſe: ſed irem domum paternam, ibique eligerem uxorem gentilem. Cui cùm ego dicerem, Quid ſi mulier nolet me ſequi? Deus, inquit ille, cui ego per omnem vitam parui, tecum mittet nuntium ſuum, qui tibi ſecundabit hoc iter: ità ſumes filio meo uxorem mihi gentilem, ortámque ex domo paterna: hâc re exolveris te religione jurisjurandi, quo te aſtringo, ſi fortè non impetraveris ut mulier te ſequatur. Ità perſuaſum eſt mihi ut venirem. Cúmque hodie veniſſem ad fontem, ità cogitabam mecum; Jehova, Deus heri mei Abrahami, ſi tu mihi ades in hoc itinere, da mihi, ut me nunc hîc ſtante ad fontem, veniat puella hauſtura, quæ mihi roganti det aquam ex urna bibendam, atque etiam aquetur meos camelos, ut intelligam eam eſſe quam deſtinâſti hero meo. Vix hæc mecum tacitus cogitâram, cùm ſubitò ecce egreſſa Rebecca, ferens urnam in humeris, deſcendit ad fontem, atque haurit. Et cùm petiviſſem potum ex ea, confe-*

ſtim

ſtim depoſitâ urnâ offert, & dicit etiam ſeſe adaquaturam camelos. Ego quæſivi ex ea cujus eſſet filia. Reſpondit, Bethuelis, filii Nachoris ex Melca. Tum ego accommodavi fronti ejus inaurem, & manibus armillas: & ſummiſſè adorans Jehovam, Deum heri mei Abrahami, gratias egi quòd deduxiſſet me in rectam viam ad conciliandam filiam berilis cognati filio herili, quam ex his argumentis intellexi eam eſſe. Nunc ergò, ſi certum eſt vobis facere hoc beneficium Domino meo, facite ut ſciam: ſin minùs, nihilo ſeciùs, ut inſiſtam aliam viam. L. *Hæc res planè ex Deo orta eſt, neque nos omnino poſſumus repugnare tibi.* B. *Ità habet. Proinde habe tibi Rebeccam tuo arbitratu, eámque ducito nupturam filio heri tui, ſicut viſum eſt Jehovæ.* D. *Gratiam habeo Deo primùm, qui ità voluerit: deinde vobis, qui non repugnaveritis. Tu verò Rebecca, & vos, non recuſabitis hæc quantulacunque dona, quæ attuli juſſu mei domini.*

Sent. Deus dirigit pios in viam, eorúmque actiones ſecundat.

IDUMUS. Gen. 25.
ARGUMENTUM.

Eſaus vendit Jacobo fratri prærogativam ætatis.

Eſaus, Jacobus.

I*Mperti mihi de rufo iſto; nam redeo rure exanimatus laſſitudine.* J. *Vende mihi in præſentia prærogativam tuæ ætatis.* E. *En ego jam jámque morior: quò mihi iſtam prærogativam?* J. *Ergò confirma mihi jam nunc venditionem jurejurando.* E. *Confirmo: quid vis? Juro, addico: nihili facio jus iſtud ætatis præ edulio.*

Sent. Breviſſima voluptas hominem privat perpetuis bonis. Idem uſu venit impiis, qui amore carnalium voluptatum prodigunt bona cœleſtia.

VENATOR Gen. 27.

ARGUMENTUM.

Jacobus arte maternâ prævertit à patre felicitatem Eſai. Eſaus ſeriùs veniens, fruſtra lacrymatur.

Rebecca, Jacobus, Iſaacus, Eſaus.

PAter tuus miſit venatum fratrem tuum Eſaum, me audiente, ut afferat ferinam, ex qua confectum pulpamentum ipſe edat, eique bene precetur à Jehova antequam moriatur. Nunc audi, fili mi, quid velim à te fieri. Adi pecus, & indè afferto mihi duos hœdos opimos, ex quibus conficiam patri tuo edulium, quali maximè delectatur, quod offeres ei, ut tibi bene precetur priuſquam excedat vitâ. J. *Sed frater villoſus eſt, ego depilis. Quòd ſi fortè pater me attrectaverit, putabit ſe mihi eſſe ludibrio. Itaque mihi malè, non benè precabitur.* R. *Iſtam imprecationem ego præſtabo, nate: tu modò gere mihi morem.* Ja. *Si ità jubes, certum eſt obſequi.* Eo. R. *Mihi magnopere curandum eſt, ut agam hanc rem callidè & prudenter, nè meus maritus deprehendat fallaciam. Nam ut amat ruſticum illum Eſaum, nunquam eum poſtponet Jacobo, niſi fraude inductus. Ego verò Jacobum plùs amo, & ſtudeo eum obrepere in felicitatem, quam conciliabunt patris preces ei, cui bene ominatus fuerit.* J. *Redeo, mater, affero hœdos.* R. *Factum bene: agedum, parem cupediam patri tuo, cujuſmodi ſcio ſuavem eſſe ejus palato. Recte eſt; parata ſunt omnia. Nunc agé, induam te veſtimenta pretioſa Eſai, quæ habeo penes me Hic ornatus te condecet.* Ja. *Quid manus & collum, quòd pilis carent?* R. *Veſtientur pelle hœdorum. Bene habet: accipe nunc hanc eſcam, atque hunc panem quem confeci,*

feci. Abi; vide ut agas prudenter. Ja. *Dabo operam. Pater.* Iſ. *Quis tu es, fili?* Ja. *Eſaüs primogenitus tuus: executus ſum mandatum tuum. Surge, agé, veſcere ferinâ, ut mihi bene preceris.* Iſ. *Quid ſibi vult, quòd tam citò nactus es, fili?* Ja. *Jehova Deus ille quem colis, objecit mihi.* Iſ. *Accede huc, ut te attrectem, fili, ſciámque utrùm ſis ipſe Eſaüs, necne. Quid hoc? vox quidem Jacobi eſt, ſed manus Eſaï. Túne ergò es ipſe natus meus Eſaüs?* Ja. *Planiſſimé.* Iſ. *Accede ad me, ut veſcar tuâ ferinâ, fili, tibique bene precer. Suavis eſca ſané: funde vinum.* Ja. *En tibi!* Iſ. *Nunc agé amplectere me. Quàm ſuavis odor venit ad nares meas! Fragras, fili mi, non aliter quàm ſolet ager lætus munere Jehovæ. Faxit Deus ut terra pinguis, irrigata rore cœleſti, effundat tibi magnâ copiâ ſegetes & uvas. Tibi ſerviant nationes, te colant populi, dominus ſis fratrum tuorum, téque revereantur ex eadem matre nati. Qui tibi imprecabitur, eſto execrabilis & infelix: qui tibi bene volet & optabit, eſto fortunatus.* Ja. *Bene geſſi meum negotium, mater. Non agnovit me: & ex attrectatione putavit me eſſe Eſaüm.* R. *Bene eſt: ſed Eſaüs jam reverſus parat ferinam quam offerat patri. Videamus quid agat: nam multùm fallet eum ſpes.* E. *Attolle te, mi pater, & veſcere meâ ferinâ, ut mihi bene preceris.* Iſ. *Nam quis tu es?* E. *Rogas? Primogenitus tuus Eſaüs.* Iſ. *Totus obſtupeſco, horreóque. Quis ergò eſt is, qui modò attulit mihi ferinam? Nam ex ea prorſus comêdi ante tuum adventum, eique fauſta omnia ſum precatus: quæ res rata erit.* E. *Hei mihi! nunquid cauſæ eſt, quin ego perpetuò perierim? Attamen mihi quoque bene precare, pater.* Iſ. *Frater tuus rem aſtu tractavit,*

abſtulitq; fauſtitatem tuam. E. *Næ ille probè reſpondet ſuo nomini, qui me jam bis circumvenerit. Primùm enim fraudavit me prærogativâ ætatis: deinde nunc intercepit bonam precationem mihi debitam. Sed nihilne tibi reliquum feciſti, quo mihi fauſtum aliquid precere?* Iſ. *Profectò feci eum dominum tuum; ſtatuique ut fratres ei ſervirent; eúmque munivi frumento & vino. Quid vis tibi jam faciam, fili?* E. *Solúmne id habebas? Imperti etiam me aliquâ felicitate. Heu! quid agam miſer?* Iſ. *Habebis quidem domicilium minùs bonum & à pinguitudine ſoli, & à ſupero rore cœli; & vivens gladio ſervies fratri: veruntamen erit tempus illud, cùm viciſſim vinces excutiéſque jugum ejus de collo tuo.* E. *Non procul abeſt luctus à patre meo. Nam certum eſt mihi interficere Jacobum fratrem.*

SENT. Properandum eſt, & arripienda occaſio. Serò plorat Eſaus. Serò venitur ad colligendum manna poſt ortum ſolem, aut die Sabbati. Serò afferuntur falces poſt meſſem, cùm jam nihil ſupereſt niſi ſpicilegium. Serò pulſant fores fatuæ virgines. Serò conabuntur intrare pigri per portam jam clauſam.

JACOBUS PROFUGUS. Gen. 29.

ARGUMENTUM.

Jacobi profugi congreſſio cum Rachele ſobrinâ ſuâ.

Jacobus, Paſtores, Rachel.

FRatres, *unde eſtis?* P. *Ex Charba.* J. *Ecquid nôſtis Labanem filium Nachoris?* P. *Maximé.* J. *Valétne?* P. *Valet: atque ecce tibi Rachelem filiam ejus, huc venientem cum pecudibus!* J. *Hem! diei multum adhuc eſt, nec dum tempus eſt cogendi pecoris: quin adaquatis pecudes, deinde ituri paſtum?* P. *Non poſſumus, donec*

nec convenerint omnes greges, quò avolvamus ſaxum ab ore putei, atque ità adaquemus. J. *Sed venit Rachel agens pecus: quid ceſſo avolvere ſaxum, ut hauriam ei aquam, atque hanc primùm ab ea ineam gratiam? O mea Rachel, amplectere me.* R. *Abſtine tu manum: quis tu es?* J. *Ego ſum Jacobus patruelis tuus, filius Rebeccæ; non contineo lacrymas præ gaudio.* R. *O felicem adventum! Sed ego ceſſo ire in urbem, ut annuntiem hæc meo patri?*

SENT. Gaudent mutuo congreſſu conſanguinei. Sunt autem pii omnes inter ſeſe divinâ conſanguinitate conjuncti.

LABAN. Gen. 31.

ARGUMENTUM.

Laban fugientem Jacobum aſſecutus, cum eo jurgatur: deinde fit inter eos fœdus.

Laban, Jacobus, Rachel.

QUæ ratio impulit te, ut, inſcio me, abduceres meas filias, tanquam ferro partas? cur clam & neſciente me aufugiſti, neq; feciſti me certiorem, ut proſequerer te voluptate carminum, tympanorum, cithararum? neq; permiſiſti mihi ut oſcularer meos natos & natas? Stultè ſanè feciſti, & erat mihi in manu nocere vobis. Sed Deus veſter patrius herì monuit me, ut caverem nè te offenderem ullâ re. Verùm eſto: Profectus ſis ſanè præ deſiderio, quod capiebas è domo paterna: deos verò meos cur furatus es? Ja. *Illud feci adductus metu, veritus nè tu eriperes mihi tuas filias. Quod autem attinet ad tuos deos, ſi quem penes inveneris eos, per me quidē plectatur capite. Noſcita, præſentibus neceſſariis noſtris, ſi quid tui apud me eſt.* L. *Rectè dicis. Perſcrutabor veſtra tabernacula.* Ja. *Non recuſo quò minùs*

 veſtiges

veſtiges omnia. R. *Video me eſſe in magno periculo. Nam Laban pater meus conquirit per omnia tentoria ſuos deos penates, quos ego furata ſum, meo viro neſciente. Quod ſi factum deprehendetur, concitavero magnas turbas. Comminiſcenda aliqua fallacia eſt, & quidem ſubitó: nam meus pater jam aderit hîc. Probé, invêni viam: obruam eos in hoc ſtercore camelino, deinde ſedebo ſuper; facilè eum fallam.* L. *Rimatus ſum acerrimè tabernaculum Jacobi, tum Liæ, tum duarum ancillarum. Nuſquam invêni. Reſtat tabernaculum Rachelis: in quo ſi non erunt, mirabor. Hæc omnia ſunt mihi perſcrutanda. Hîc quidem non ſunt, neque hîc. Quid ſub hac culcitra? Tantundem. At in hoc angulo erunt. At non ſunt.* R. *Noli ægrè ferre, domine, quòd non poſſum aſſurgere tibi: nam ſum in menſtruis.* L. *Perquiſivi omnia diligentiſſimé: ſed nuſquam comperi meos deos penetrales.* Ja. *Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quod facinus admiſi in te, ut tu me ſic perſequerêre? Scrutatus es omnia mea utenſilia: ecquid inveniſti de ulla ſupellectile tuæ domûs? Prome huc coram neceſſariis utriuſque noſtrûm, ut ipſi judicent de utroque noſtrûm. Jam viginti annos egi apud te: tuæ oves & capræ nunquam fuerunt infœcundæ: non comêdi arietes tuæ oviariæ: nihil ad te retuli ereptum à feris: ipſe ſemper præſtiti damnum: tu mihi ſemper imputâſti: ſi quid per furtum amiſſum eſt tam interdiu quàm noctu, meo periculo amiſſum eſt. Denique, ea fuit mea conditio, ut & de die conficerer æſtu, & de nocte gelu; & interea ſomnus abeſſet ab oculis meis. Jam hic mihi vigeſimus annus agitur, cùm ſum domi tuæ. Servivi tibi quatuordecim annos*

nos pro tuis duabus filiabus, ſex autem pro ovibus & capris; cùm tu interea mutaviſti mihi mercedem decies. Quòd niſi Deus patrius, videlicet Deus Abrahami & terror Iſaaci, affuiſſet; tu quidem dimiſiſſes me vacuum. Sed reſpexit ille miſerias & labores, quibus ſum perfunctus: id quod herì ſatis oſtendit. L. *Meæ ſunt hæ filiæ, mei filii, meum pecus; denique, quicquid hîc vides, meum eſt. Et nunc quo pacto optimè conſulã meis his filiabus & filiis quos pepererunt? Opinor ſi ego & tu feriemus fœdus, quod ſit teſtimonio utrique noſtrûm.* Ja. *Optimé. Ego hîc erigam cippum ex hoc ſaxo: vos mei propinqui accumulate lapides: capiamus cibum ſuper hoc tumulo.* L. *Hic hodie tumulus erit medius teſtis inter me & te.* Ja. *Perplacet. Atque ex hac re vocetur Galaadus.* L. *Aut etiam Miſpa, ut ſignificet Deum aſpecturum quid fiet à me & te, cùm diſceſſerimus alter ab altero. Quòd ſi tu eris durus meis filiabus, aut ſi duces alias in matrimonium præter eas; tum hæc pacta perinde ſunto atque ſi nulla facta ſint. Atque hujus quidem rei teſtis eſto Deus utrique. Vides hunc tumulum? vides & hunc cippum, quem extruxi inter me & te? Hic tumulus & hic cippus teſtes ſunto, neque me adverſum te, neque te adverſum me tranſiturum eos ad nocendum. Deus Abrahami, & Deus Nachoris, utriuſque patrius, ſunto noſtri vindices.* Ja. *Ego conjuro per terrorem mei patris Iſaaci. Atque ut hæc ſint ratiſſima, faciam hodie ſacrificium in hoc monte, ad cujus epulas vos omnes invito.* L. *Concedimus.*

SENT. Deus ſuos tuetur ab adverſariis.

JACOBUS REDUX. Gen. 33.

ARGUMENTUM.

Jacobus ex Meſopotamia rediens, Eſaum fratrem donis pacat. *Eſaus, Jacobus.*

O *Salve multùm, mi frater chariſſime.* J. *Salve & tu plurimùm, germane mihi optatiſſime.* E. *Ut te libenter amplector poſt longum ſpatium temporis!* Ja. *Et mihi profectò jam diu nihil fuit jucundius, quàm nunc videre te incolumem. Itaque præ gaudio non teneo lacrymas.* E. *Nec ego poſſum non flere, ità totus lætitiâ geſtio. Sed quid ſibi vult iſte grex mulierum & puerorum, quos tecum ducis?* Ja. *Uxores ſunt & liberi; quibus me Deus, quæ ſua eſt liberalitas, ditavit.* E. *Quid autem ſibi vult totus ille grex, quem offendi veniens?* Ja. *Volui te eo dono mihi placare.* E. *Satìs multa habeo frater; habe tibi tua.* Ja. *Nè repudia me, quæſo; ſi te mihi propitium habeo, accipies à me munuſculum. Nam quòd vidi faciem tuam, videor mihi vidiſſe numen quoddam: nec mirum, qui mihi tam facilis fueris. Itaque quæſo ut accipias à me munuſculum quod ad te adductum eſt, poſtquam Deus pro ſua benignitate tam multis bonis me accumulavit, ut nullâ re careã.* E. *Quando urges tantopere, accipio, etſi nihil opus erat: agé, eamus; ego ibo unà tecum.* Ja. *Scis pueros eſſe teneros, ovéſque & capras & boves prægnantes: quòd ſi fatigentur vel unum diem, actum eſt de ovibus & capris omnibus; interibunt. Sed amabó, I præ; ego pergam clementer & placidé, prout poſtulant ea quæ præ me duco, ipſique pueri, donec veniam ad te in Seir.* E. *Saltem relinquam tibi aliquot ex meis comitibus.* Ja. *Quid opus? Gere, obſecro, mihi morem.*

SENT. Potentiorum ira, comitate & ſubmiſſione leniendа eſt.

JOSEPHUS VENDITUS. Gen. 37.

ARGUMENTUM.

Joſephum ob invidiam vendunt fratres mercatoribus Iſmaelitis.

Simeon, Levi, Reuben, Joſephus, Judas, Mercatores.

E*Cce vobis ſomniator ille! Agité, occidamus eum, dejiciamúſque corpus ejus in aliquam ſpecum.* L. *Sed quid renuntiabimus patri de eo ? S. Devoratum eſſe ab aliqua fera. Videbimus quorſum evadant ejus ſomnia.* R. *Impium ſit maculare manus ſanguine pueri, idque fratris. Deducimini ab iſta mente. Nihil poteſtis gravius conſulere in nos, aut in patrem noſtrum.* S. *Unde tibi inceſſit iſta nova religio ? Vis ergò ſinamus eum vivere, qui ſuis inſomniis portendit nos omnes, ipſóſque adeò parentes, fore ſibi ſupplices? An non dignus eſt, qui eat ſomniatum apud inferos ?* R. *Frater, ſi ità futurum eſt, quî caveas ? ſin minús, quid times ? Uſqueadeóne indignum tibi videtur, ſi puer imperitus ſomniavit ? Quid poteſt eſſe culpa in ſomniis ? Poſtremó, ſi adeò obfirmâſtis animum, neque poteſtis avocari ab iſto conſilio; eſt hîc puteus ſine aqua: ſaltem abſtinete manus, demittite in puteum; culpa erit aliquantò minor.* S. *Reuben, tu videris. Nobis certum eſt perdere puerum.* Jo. *Plurimâ ſalute vos impertio, fratres amantiſſimi.* S. *At nos te malo maximo impertimus, qui ſomnias te coli à fratribus, quos nunc ſalutas tam blandé. Agité, diſcindamus veſtem hanc verſicolorem, quâ pater eum ornavit, delicatulũ puellum.* J. *Hei mihi! quid cogitatis mihi facere?* L. *Necabimus.*

Jo. *Ah! nè facite.* S. *Stat ſententia.* Jo. *O fratres chariſſimi, per Deum optimum maximum, per communem noſtrum parentem qui conficietur mœrore, obſecro, obteſtor; quid feci? quid eſt meum ſcelus? quæ mala mens vos agit?* S. *Fruſtra rogas.* Jo. *Fratrem veſtrum?* S. *Certum eſt.* Jo. *Ah! veſter ſum, veſter ſum frater.* S. *Surdo canis: demittite.* R. *At ego ſubduco me hinc, non ſuſtineo adeſſe in tam triſti ſpectaculo.* Jo. *Heu me miſerum! quò detrudor? Nimirum ad manes. O pater, pater, quàm triſtem nuntium accipies de filio! In quanto luctu trahes vitam! Juda, obſecro tuam fidem, miſerere mei, miſerere parentum.* L. *Sedeamus hîc meridiaturi.* Ju. *Video mercatores quoſdam veniẽtes: vultis auſcultare mihi? Quid profuerit nobis cruenta cædes fratris noſtri? Vendamus eum potiùs Iſmaëlitis, quos videtis venientes. Nè afferamus hoſtiles manus fratri: abſtineamus à ſanguine. Nam certè frater noſter eſt procreatus eodem ſemine. Agité, ſinite vos exorari.* L. *Rectè ait.* S. *Sed nè fortè--* Ju. *Frater, nè metue, amittes eum venditione, non minùs quàm nece.* L. *Ità eſt: accedit etiam quæſtus ex venditione: quem quæſtum amittemus, ſi eam necaverimus.* S. *Sino, fiat.* Ju. *Heus mercatores, vultiſne emere puerum quendam elegantem?* M. *fortaſſe: fac videamus.* Ju. *Extrahite eum è puteo: empturi ſunt.* Jo. *Nunc quidem mihi pereundum eſt, video, extrahor ad cædem.* Ju. *Nè trepida: non necaberis, ſed vendêris. En vobis puerum lepidâ formâ!* M. *Hercle bellum & ingenuum. Quanti eum indicatis!* J. *Triginta argenteis.* M. *Accipimus. Accipite pecuniã.*

SENT. Invidia impellit homines ad quodvis facinus. Et Deus quidem ſuos non deſerit; ſed, ut exploret, in extremos angores venire patitur.

JOSE-

JOSEPHUS CAPTIVUS. Gen. 40.

ARGUMENTUM.

Joſephus captivus interpretatur ſomnia præguſtatoris & piſtoris Pharaonis.

Joſephus, Præguſtator Pharaonis, Piſtor.

QUid accidit, ut hodie vultu ſitis adeò mœſto? Pr. *Somniavimus uterque; & caremus conjectore.* J. *At habet Deus conjectores. Agitè, narrate mihi.* Pr. *Videbar mihi in ſomnis videre ob oculos vitem, ex qua tres palmites orirentur: quæ deinde, quaſi germinaret, produxit florem, unde uvæ plenæ racemis matureſcebant. Erat autem mihi in manu poculum Pharaonis; itaque cepi uvas, eáſque in id expreſſi, deinde tradidi ei in manum.* Jo. *Hæc eſt interpretatio. Tres palmites tres dies ſunt. Hinc ad triduum Pharao jubebit te produci è carcere, reſtituétque in locum muneris priſtinum; ſtabiſq; ei ad cyathos, ut antè. Quamobrem ubi adeptus fueris hoc tantum bonum, facito quæſo ut memineris mei, præſtéſque mihi hoc beneficium, ut facias mentionem mei apud Pharaonem, méq; extrahas ex hac domo. Nam ſurreptus ſum clàm ex terra Hebræorum, neque hîc quicquam feci quamobrem compingerer in carcerem.* Pi. *Rectè ſanè interpretatus es. Sed audi meum quoque ſomnium. Tria alba caniſtra erant ſuper capite meo, in quorum ſummo inerant Pharaonis omnis generis cibi piſtorii, quos indè aves comedebant.* Jo. *Accipe conjecturam. Tria caniſtra tres dies ſunt. Abhinc tres dies juſſu Pharaonis ſecuri ferieris, atque in crucem tolleris, ubi alites vorabunt tuum cadaver.*

SENT. Deus piis arcana retegit, idémque viam ad eorum ſalutem ſæpe longè antè præparat.

JOSE-

JOSEPHUS CONJECTOR. Gen. 41.

ARGUMENTUM.

Joſephus interpretatur Pharaoni duo ſomnia, ob eámq; cauſam Pharao præficit eum toti Ægypto.

Pharao, Joſephus.

SOmniavi quiddam quod nemo mihi poteſt interpretatione explicare: Te autem audio eſſe conjectorem ſomniorum, ideóque te accerſivi. JO. *Equidem is ſum per quem Deus interpretetur ſomnium tuum, Pharao. Itaq; narra.* P. *Videbar mihi aſtare ripæ fluminis; atq; ex eo exierunt ſeptem vaccæ bene habitæ, & pulchræ viſu, quæ paſcebantur in carecto. Ecce autem deinde ſeptem aliæ graciles, & deformes ſupra modum, & tenui corpore, quales nunquam vidi in Ægypto; quæ devoraverunt priores: quas cùm demiſiſſent in ſua viſcera, tamen id non apparebat; adeò ſēper macie deformes erant, ut priùs. Ego ſomno ſolutus ſum. Deinde rurſum oppreſſus ſomno, videbar videre ſeptem ſpicas creſcentes in uno calamo, opimas, & formoſas: ſecundum quas ſuccreſcebant totidem aliæ graciles & tenues, & exeſæ uredine, quæ devoraverunt ſeptem illas generoſas. Hæc ego indicavi conjectoribus; ſed nemo eſt qui poſſit mihi explicare.* JO. *Somnium tuum unum eſt, Pharao. Deus præmonet te eorum quæ facturus eſt. Septē vaccæ generoſæ, ſunt ſeptem anni: ſeptem ſpicæ opimæ idem volunt: unum idémque ſomnium eſt. Septem verò vaccæ & ſpicæ tenues, ſeptem alii ſunt anni quibus fames vigebit. Hoc idipſum eſt quod dixi: Deus quod facturus eſt, tibi indicat. Sic habeto: Septem annos proximos futuros eſſe fertiliſſimos frugum terræ, præſertim in Ægypto; quos ſequentur alteri ità infeſti penuriā omnis cibi, ut læta illa ubertas priorū ſit omnino conſumenda*

menda fame. Tantâ, inquam, laborabitur penuriâ, ut tantæ rerum abundantiæ nè veſtigium quidem ullum ſuperſit. Nam quòd bis ſomniâſti, id ideo factum eſt, ut intelligas omnino decretum eſſe Deo ità facere, idque brevi. Quare diſpice, Pharao, virum aliquem ſcientem & peritum, quem præficias Ægypto. Præterea, curatores & ædiles annonæ, qui legant quintas in Ægypto, cogántque quàm maximum numerum frumenti his proximis ſeptem annis uberibus, quod condant nomine tuo in urbes. Ità fiet, ut proximo ſeptennio duplas conſequaris annonas, quibus Ægyptus defendatur à fame & pernicie altero ſeptennio. Ph. *O ſalutare conſilium, & dignum homine ſapientiſſimo! An quiſquam hodie eſt, qui æquè ſpiret numen, atque hic! Ergó, cùm Deus indicet tibi, Joſephe, tantas res; non eſt dubium quin tu ſis prudentiſſimus & ſapientiſſimus omnium. Itaque jam nunc volo ut ſis gubernator domus meæ, útque omnis meus populus pareat imperio tuo. Major ero te, ſolio tantùm. En trado tibi curam & gubernationem totius Ægypti; atque ad confirmationem hujus rei hunc annulum detractum meis digitis, induo tuis: téque dono hâc veſte byſſinâ, & hoc torque aureo: jubeóque te vehi curru primo ſecundum meum: & volo proclamari ante te, Congenulate. Nè vivam Pharao, niſi tu unus eris in tota Ægypto, cujus injuſſu non audebit quiſquam vel mutire. Deinceps jam non vocaberis Joſephus, ſed Saphnathopaneas, ut nomine ipſo pollicearis interpretationem obſcurorum. Atque ego tibi deſpondeo Aſnatã, filiam Potiphræ pontificis Heliopolitani.* J. *At ego tibi, rex, pro tantis beneficiis habeo gratiam quantam maximam poſſum; dabóque operam, Deo volente,*

te, ut nec te mãdati, nec me recepti muneris pœniteat.

SENT. Deus pios, poſt dolores & infamiam, mirâ arte evehit ad voluptates & honores. Quod ſi non omnibus piis accidit in hac vita; at in futura accidet: nam prima pars vitæ Joſephi, quæ calamitoſa fuit, umbra eſt hujus vitæ piorum; altera veró, futuræ. Atque idem dico de Jacobo & Davide. Ad gaudia venitur per dolores; ad honores, per infamiam; ad dulcedinem, per amaritudinem; ad altitudinem, per humilitatem; per mortem, ad vitam.

JOSEPHUS AGNITUS. Gen. 44, & 45.

ARGUMENTUM.

Filii Iſraelis revocati de via juſſu Joſephi, furti ſimulatè accuſantur: tandem Joſephus ſe eis aperit.

Præfectus domûs Joſephi, Filii Iſraelis, Reuben, Judas, Joſephus.

REſtate, viri. Heus, vos appello; ſiſtite greſſum. Hoccine eſt humanum factum, aut dignum hoſpitibus, penſare bonum malo? An neſciebatis eam eſſe, quâ herus eſt ſolitus potare? An etiam ſperabatis eum ignoraturum qui eſt divinus? Malè omnino à vobis factum. Fi. *Quid tibi vis, homo, cum tua iſta iracundia? Aut quid nos accuſas?* P. *Ità vos Deus amet, ut neſcitis.* Fi. *Nam quî ſciamus?* P. *Suffurati eſtis pateram heri mei. Scitis nunc? At etiam ut fingunt vultum!* Fi. *Pace tuâ dixerimus, vir optime: abſit procul à nobis iſtud facinus. Tute ſcis ut reportaverimus ad te, uſque è finibus Chananæorum, argentum repertum in ore ſaccorum noſtrorum: tantum abeſt, ut ſuſtulerimus è domo domini tui aurum, aut argentum. Ità tecum agemus. Si quẽ penes deprehenſa fuerit patera; ipſe moriatur, nos omnes perpetuæ ſervituti addicamur.* P. *Imò agemus mitiús. Qui fuerit cõvictus furti, mihi ſervus eſto: cæteri liberi diſcedunto.* Fi. *Placet, deponamus ſarcinas ocyús. Hem, ſcrutare ut libet.* P. *Placet cõquirere à maximi ſarcina*

ad minimi. Hîc quidē non eſt, neq; hîc; ſed profectò invenietur. Ubi ubi eſt, diu celari non poteſt. Euge, manifeſtum furtum. Hîc eſt in ſacco minimi natu. An etiam nunc poteſtis negare? Deprehendíne ego furem manifeſtarium? F. *Aperta res eſt, periimus funditus. Heu rem miſeram & luctuoſam! An ulli unquam mortales fuerunt æquè infortunati, atq; nos ſumus?* Ju. *Equidem nequeo ſatis mirari. Atat, data nobis ſunt verba: redeamus properè omnes ad Saphnathopaneam, ſi ulla ſupereſt ſpes ſalutis. Ah pater, quàm metuo malè nè tibi accidat quod metuebas tantopere!* Jo. *Quod facinus feciſtis, hoſpites? An ignoratis me unum eorum eſſe qui divinant?* Ju. *Quid dicemus, domine? Quid loquemur? Quā cauſam afferemus? Deus patefecit peccatum noſtrum: ecce nos tibi ſervos, unà cum eo apud quem inventa eſt patera!* Jo. *Bona verba. Imò ipſe unus mihi ſerviet: vos redite ſalvi ad patrem veſtrum.* Ju. *Quæſo ut liceat mihi pauca loqui apud te, cum bona venia: nam tu quidem es alter Pharao. Cùm primùm huc venimus, ut túte ſcis, frumentandi gratiâ, rogâſti numnam eſſet nobis pater aut frater. Nos reſpondimus, patrem eſſe nobis ſenem, fratrémq; natum jam annoſo patre, cujus item germanus alter exceſſiſſet vitâ, illum tum ſolum reſtare domi cum matre, patriq; eſſe chariſſimum: & tu juſſiſti fratrem illum adduci ad te, quòd diceres velle te videre. Nos reſpondimus, patrem non poſſe carere eo, quin moreretur præ mœrore. Tum tu interdixiſti nobis aditu ad te, niſi minimus natu frater cōpareret nobiſcum. Nos retulimus omnem rem patri. Cúmq; juberet nos redire huc eadem de cauſa, negavimus venturos ſine fratre. Pater dicere, ex duobus filiis, quos ſuſtuliſſet*

ex

ex uxore, alterum à feris devoratum eſſe, nec poſtea viſum ſibi; alterum ſupereſſe, qui ſi abduceretur à ſe, & aliquid humanitus accideret ei, nos fore in cauſa ut ſenex miſerè interiret. Nunc ſi revertar ad eum, neq; reducam puerum, quem unicè amat; ſimulatq; viderit me, morietur: atque ità fuerimus autores miſerrimæ mortis patris noſtri, ejúſq; ſenis. Atqui ego vas factus pueri ſiſtendi. Quare obſecro te ut ego potiùs ſerviam ſervitutem apud te pro puero: ipſe redeat domum cum fratribus. Neque enim ſuſtineo redire ad patrem ſine puero, nè videã mala quibus afflictabitur. J. *Enimvero jam non contineo me, nec poſſum ampliùs diſſimulare. Vos exite omnes foras. O fratres mei! Ego ſum Joſephus. Obſecro, éſtne ſuperſtes pater? quid obſtupuiſtis? Amplectimini me. Oh! non contineo lacrymas. Ego ſum Joſephus germanus veſter, quem vendidiſtis mercatoribus euntibus in Ægyptum. Proinde nè angimini, néve dolete, quòd me vendideritis. Nam hoc totum profectum eſt à providentia Dei, qui voluit ut huc antevenirem. Etenim duo anni fame infeſti elapſi ſunt: ſupereſt adhuc quinquennium, quo neq; ſementis fiet, neq; meſſis. Quamobrem Deus præmiſit me in hæc loca, quò ſciebat vos eſſe venturos; ut eſſet qui ſervaret vos paternámque domum: itaque non vos, ſed Deus miſit me, qui effecit ut eſſem Pharaoni pater, toti ejus familiæ dominus, univerſis Ægyptiis princeps. Quocirca proficiſcimini continuò ad patrem, & narratote ei, me eſſe & vivum, & magnum, atque gratioſum: Proinde, nè cunctetur commigrare ad me unà cum tota domo & pecoribus. Supellectilem nè moretur: plurimum enim hîc eſſe. Nam alam vos in terra quadam feraci non*

procul

procul hinc: ecce, vos videtis oculis veſtris, videt charisſimus frater Benjamin, ut colloquar vobiſcum meo ipſius ore: libet agnoſcatis, & omnia renuntietis patri. O mi Benjamin! tencóne ego te? Ut libenter amplector chariſſimum mihi capitulum! Agité, amplectar vos omnes. Salvete fratres, redditi mihi poſt longum tempus. F. *Salve & tu frater mitiſſime.*

SENT. Deus eſt mirificus: etiam peccata ſuorum convertit ad ipſorum ſalutem.

MOSES EXPOSITUS. Exod. 2.

ARGUMENTUM.

Moſes infans à matre expoſitus, reperitur à filia Pharaonis, & matri ignoranter traditur alendus.

Jacobeda mater Moſis, Maria ſoror, Thermuthis filia Pharaonis, Ancilla.

H*Ucuſq; evaſimus clanculum, & jam pervenimus ad flumen. Nunc exponendus eſt hic infans puer, nè Pharao reſciſcat eum eſſe ſervatum à nobis contra ſuum mandatum atque voluntatem. Nam quòd ſervavimus eum jam tres menſes, fecimus cum magno periculo. Sed melius erat venire in diſcrimen etiam de vita, quàm ſinere necari tam formoſum puerum. O crudelem regem, qui juſſerit interfici omnes partus mares! Quàm multi ſunt perempti juſſu ejus, in ipſo ingreſſu vitæ! Quæ eſt unquã audita tanta immanitas, Infantes jugulari in ipſo limine & ingreſſu vitæ? O mi filiole! ego mater miſera cogar exponere te hîc in papyro? Te, quem tuli utero, quem peperi, quem per tres menſes occultavi, & occultarem adhuc ſi poſſem. O rem acerbã! méne ſeparari à te, ſine ulla ſpe tui unquam videndi? Quid me futurum eſt? quid te autem, fili, quem hîc deſero? Verùm cùm non poſſimus quod volumus, velimus*

limus quod poſſumus. Quod meum fuit, feci ut te occultum haberem. Nunc commendo te clementiæ & providentiæ divinæ. Vale, mea deliciæ, vale mi filiole. M. *Mater, ego hîc manebo in occulto, ſi tu permittes, ut videam quid futurum ſit.* J. *Permitto, & domum redeo.* T. *Hîc eſt flumẽ, quò venimus ad lavandum. Vos pediſſequæ hîc inambulabitis ſecundum flumen. Ego cum ancilla concedam in hunc receſſum amœnum & occultum. Sed quid video in papyro? Ancilla, viſe quid ſit: videtur mihi eſſe ciſta.* A. *Et rectè videtur, hera. Et quidem eſt oblita bitumine & pice.* T. *Adfer eam huc. Aperiamus. Ah miſelle! Puer eſt vagiens: miſeret me ejus. Ex pueris Hebræorum eſt.* M. *Venio in ſummam ſpem conſervandi pueri. Accedam. Salve domina.* T. *Quid tu ais?* M. *Viſne ut accerſam tibi nutricem ex Hebræis, quæ nutriat tibi puerum?* T. *Bene dicis, accerſe.* M. *Jam hîc aderit.* T. *Bonis auſpiciis huc deſcendi. Habeo puerum, quem curabo educandum pro meo. Nihil potuit accidere mihi optatius. Neque vereor offendere meum patrem in re tam pia & humana. Ah! ſcelus eſt jugulare partus recentes. At quàm elegans eſt, quàm bene natus! Nónne flagitium eſt necare tales pueros?* M. *Hîc tibi adduco nutricem, domina.* T. *Mulier, tu educabis mihi & enutries hunc puerum? Ego tibi ſolvam mercedem.* J. *Faciam.*

SENT. Quos Deus ſervare vult, eos quidem in ſumma pericula venire patitur, at non perire.

DUMUS. *Exod.* 3.

ARGUMENTUM.

Jehova de dumo ardente alloquitur Moſen, eúmque mittit in Ægyptum, ad liberandos Iſraelitas ex ſervitute.

Moſes, Jehova.

Deum

DEum immortalem! quid monſtri video? Dumum ità ardentem, ut tamen non conſumatur? Libet videre quid hoc ſit rei. J. *Moſes, Moſes.* M. *Quis eſt?* J. *Locus hic ſacer eſt; noli accedere huc. Detrahe tibi calceos de pedibus. Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi. Vidi anguſtias populi mei qui eſt in Ægypto, gemitúmque audivi, quem exprimit violentia exactorum operis. Novi labores meorum. Itaque deſcendi ut eripiam eos è manibus Ægyptiorum, abducámque ex illa terra, in terram bonam & amplam, abundantem lacte & melle: quam incolunt Chananæi, Hettæi, Amorrhæi, Pherezæi, Hevæi, & Jebuſæi Et nunc volo mittere te ad Pharaonem, qui educas populum meum poſteros Iſraëlis ex Ægypto.* M. *Nam quis ego ſum, ut adeam Pharaonem, edacámque Iſraëlitas ex Ægypto?* J. *Adero ego tibi, atque hoc ſigno intelliges te eſſe à me miſſum. Cùm eduxeris eos ex Ægypto, coletis Deum in hoc monte.* M. *Agè ſané, adivero Iſraëlitas, dixero me miſſum à Deo patrum ipſorum: Quod eſt, inquient, nomen ejus? Hîc quid reſpondeam?* J. Sum qui ſum. *Dices Iſraëlitis,* ERO *miſit me ad vos: dices, inquam, miſſum te à Jehova Deo patrum ipſorum, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; atque hoc eſſe nomen meum immortale, quo nomine volo notus eſſe in ſempiternum. I modó, convocatiſque ſenioribus Iſraëlitis, dicito, te à me eſſe miſſum, qui tibi apparuerim, quique ſtatuerim eos reſpicere, liberaréque calamitate, quâ opprimuntur per Ægyptios, atque avehere in regionem longè omnium feraciſſimam. Ubi te audierint (audient enim) adibis tu unà cum ſenioribus regem Ægypti, quem admonebitis nomine Dei Hebræorum, ut ſinat vos pro-*

cedere

cedere iter tridui per deſerta, veſtróque Deo ſacrificare. Nec verò me latet, non permiſſurum, niſi vi coactum. Quare affligabo Ægyptum miris modis, ut tandem amittat vos libens. Quinetiam nè abeatis vos vacui, ponam populum in gratiam cum Ægyptiis, perficiámq; ut mulieres egreſſuræ exorent vicinas & hoſpites vaſa aurea & argentea, & veſtem: quæ deinde impoſita veſtris liberis exportabitis, atque ità compilabitis Ægyptum. M. *At enim non habebunt fidem dictis meis, negabúntque viſum mihi Jehovam.* J. *Quid iſtud eſt quod tenes in manu?* M. *Virga eſt.* J. *Abjice humi: quid nunc, quid eſt?* M. *Perii: ſerpens eſt.* J. *Nè fuge, ſed prehende manu caudam ejus. Vides rurſum virgam factam, ut credant tibi viſum eſſe Jehovam. Agé, rurſum immitte manum in ſinum tuum. Educ. Vides tam albã leprâ, quàm eſt nix. Nunc refer in ſinum. Educ. Vides ſanam eſſe iterum, ut eſt cæterum corpus. Quòd ſi primo ſigno non adducentur ut fidem habeãt tibi; at altero. Sin nè duobus quidem prodigiis perſuaſum eis fuerit, ſumes de aqua fluvii; quam ubi fuderis in terram, fiet ſanguis.* M. *Quæſo te, Domine: neque antea eram diſertus, neque nunc ſum poſt tuum colloquium; nam laboro titubantiâ oris, & tarditate linguæ.* J. *Quis dedit os homini? Aut quis facit mutum aut ſurdum? Quis videntem, aut cæcum? Annon ego is ſum? I modó. Ego moderabor tuæ linguæ, tibíq; ſuggeram quid ſis dicturus.* M. *Obſecro, mitte idoneum aliquem.* J. *Enimvero odioſus es. Eſt tibi frater Aaron Levita: is bene diſertus eſt, ſcio. Quin procedet tibi obviàm, téque viſo lætabitur animo. Ei tu præibis verbis, quò voles. Ego verò moderabor tuo ori, & ejus: præmonſtrabóque quid ſit vobis faciendum. Ipſe*

alloquetur

alloquetur populum pro te, eritque tibi pro ore, tu illi pro deo. Feres etiam manu iſtam virgam, quâ edes portenta. Abi ſanè.

Sent. Deus voce balborum dejicit hoſtes ſuos. Debet eloquentia ſervire pietati.

VITULUS. *Exod.* 32.
ARGUMENTUM.

Moſes pacat Jehovam iratum Iſraelitis ob aureum vitulum: ipſe pœnas illis irrogat.

Jehova, Moſes, Joſua, Aaron, Levitæ.

ABi, deſcende. Jam enim depravati ſunt populares tui, quos eduxiſti ex Ægypto. Deflexerunt citò de via quam docueram; duxerúntq; ſibi ex auro vitulum, quem adorant, cui ſacrificant; dicúntq; deum eſſe, à quo ſint educti ex Ægypto. Video ſanè populum eſſe intractabilem & refractarium. Quamobrē ſine me ut iraſcar, conficiámque eos, deducámque ex te gentem magnam. M. *Cur exardeas irâ in tuos, quos eduxiſti ex Ægypto, magnâ vi, manúq; validâ? An ut jactent Ægyptii eductos à te malitioſè, ut deleres eos in montibus ad internecionem, prorſúſque tolleres è medio? Quin omitte iſtam tuam iracundiam, atq;, ita ut decet, remitte hanc noxā populo. Memineris Abrahami, Iſaaci, & Iſraëlis, cultorum tuorum, quorum poſteritatem juráſti te multiplicaturum ad numerum ſtellarū, daturúmq; ei illam terram, quam poſſideat in æternum.* Je. *Tu oras: hem remitto.* M. *Facis ut te dignum eſt. Ego verò deſcendo de monte, cum his duabus tabulis.* Jo. *Quem clamorem audio? Pugnatur in caſtris.* M. *Non eſt iſte clamor urgentium vi, aut terga vertentium: ſanum audio cantantium. Sed accedamus. Hei mihi! quod flagitium video? Totus totus iracundiâ ardeo: valeant tabulæ. Ah frater,*

frater, quid tibi fecit hic populus, ut eum obligares tanto ſcelere? A. *Nè iraſcere, domine. Tûte nôſti hunc populum, quàm ſit perverſus. Cùm flagitarent à me, ut facerem ſibi deos, qui præirent eis; (ſeſe enim neſcire quid accidiſſet iſti Moſi, à quo eſſent educti ex Ægypto) juſſi, ut quod quiſque haberet ornamenti aurei, detraheret ſibi, & afferret ad me; quod etiã fecerunt: id ego miſi in ignem, unde effectus eſt hic vitulus. Itaque vides eos nudatos ornamentis: id quod ideo feci, ut eos notarem ignominiâ apud hoſtes.* M. *Video. Nunc ſi quis à Jehova ſtat, huc ad me. Bene habet, convenerunt omnes Levitæ. Agitè nunc viri fortes, accommodate ſuum quiſque enſem lateri, ite per tota caſtra: perimite ſuum quiſque fratrem, amicum, proximum; nemini parcite: nam ità jubet Jehova, Deus Iſraëlitarum.* L. *Ità fiet.*

Sent. Populus, ſi abſint boni magiſtri, facillimè labitur in graviſſimos errores. Deus piorum precibus pacari ſe ſinit.

CONQUERENTES. *Num.* 11.

ARGUMENTUM.

Populus voluptates Ægyptias deſiderat, faſtidiens cœleſtem cibum. Et Jehova conquerenti Moſi pollicetur, ſeſe illis ſuppeditaturum carnem, ſed ad pœnam.

Populus, Moſes, Jehova.

UTinam nunquã emigrâſſemus ex Ægypto. Quid enim agimus in hac vaſta ſolitudine? Quis dabit hîc nobis carnẽ quâ veſcamur? Nam cùm venit in mẽtem piſcium, quibus immunes veſcebamur in Ægypto, tum autem cucumerum, peponum, porrorum, ceparũ, alliorum; conſeneſcimus, nihil ante oculos habentes præter neſcio quod Manna.* M. *Hei mihi! quas querimonias audio? O Jehova! cur mihi ità adverſus, ità à mea volũtate alienus es, ut mihi impoſueris onus totius hujus populi?*

Nun-

Nunquid ego populum hunc concepi? Nunquid peperi? ut mihi jubeas eum ferre in ſinu meo, quo modo fert nutrix alumnum, in terram quam juráſti majoribus ejus? Unde mihi carnes ad tantum populum, qui eas à me cum fletu flagitat? Non poſſum ego ſolus eum ſuſtinere: eſt enim gravior quàm pro me. Quòd ſi iſto modo agis mecum, interfice me potiùs, (ſi quid apud te autoritatis habeo) quàm ut videam perniciem meam. J. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraëlitis, quos ſcis eſſe ſenatores, & primarios populi: eóſque adducito ad oraculare tabernaculum, ibi adfuturos tecum. Ego deſcendam, ibi colloquar tecum, demámque de ſpiritu quo præditus es, quo eos afflabo, ut ipſi tecum ferant partem oneris populi, nè tu ſolus ſuſtineas. Populo autem ſic dicito: Luſtramini in craſtinum, & veſcemini carne. Fletus enim veſter pervênit ad aures Jehovæ, dum flagitatis carnem, & deſideratis Ægyptum. Dabit vobis Jehova carnem, quam comedatis: & comedetis non uno die, non duobus, non quinque, non decem, non viginti: ſed ad menſtruam diem, dum vobis exeat per nares, & faciat nauſeam; quoniam contempto Jehovâ, qui verſatur inter vos plorantes apud eum, conquerimini vos exiiſſe ex Ægypto.* M. *Sexcenta ſunt millia peditum hujus populi, qui adeſt mecum; & tu dicis te daturum eis carnes, quibus veſcantur per menſem. Nunquid eis mactabuntur oves, & capræ, & boves, quæ ſatis ſint? Nunquid univerſi piſces maris congerentur, qui iis ſuppetant?* J. *Nunquid debilitata eſt Jehovæ manus? Jam videbis, eventuráne quæ promiſerim, nécne.*

Sent. Cupiditas rerum carnalium parit faſtidium ſpiritualium. Et Deus carnalia petentibus interdum largitur: ſed

illa brevis voluptas parit longos dolores. Cùm maximè explebuntur carnales voluptatibus, aderit pœna.

CALEBUS. Num 13, & 14.

ARGUMENTUM.

Populus, deterrentibus exploratoribus, deſperat de expugnanda promiſſa terra. Quare iratus Jehova jurat non perventuros, exceptis duobus qui confiderent, videlicet Joſuâ & Calebo.

Exploratores, Calebus, Populus, Joſua, Moſes, Jehova.

VEnimus in eam terram, Moſes & Aaron & Iſraëlitæ, ad cujus explorationem miſſi ſumus à vobis: & quidem abundat lacte & melle: atque ecce vobis fructus illius terræ! Videtis quanta ſit hæc uva, quæ in palo portetur à duobus. Videtis & hæc malogranata, & ficus. Sed incolas habet fortes, & urbes maximas, eáſque munitiſſimas. Enaci quoque prognatos illîc vidimus. Amalechitæ ad auſtrum incolunt. Hettæi, Jebuſæi, & Amorrhæi in montanis. Chananæi autem accolunt mari & Jordani. C. *Nè dubitemus eò proficiſci, & invadere illos fines. Nam ſumus futuri victores.* E. *Minimè veró: eſt enim populus ille fortior quàm nos, terra infauſta, ſuorum habitatorum conſumptrix, in qua non niſi immani ſtaturâ homines vidimus. Quid, quòd vidimus Enacinos de genere gigantium, cum quibus comparati videbamur nobis eſſe locuſtæ?* P. *Utinam aut in Ægypto mortui eſſemus, aut in hac ſolitudine moriamur. Cur enim adduxit nos Jehova in hanc terram, ferro trucidandos, mulieribus noſtris & parvulis prædæ futuris? Nónne ſatius nobis eſt repetere Ægyptum? Creemus nobis imperatorem, quo duce revertamur.* Joſ. *Cavete Iſraëlitæ, nè quid faciatis, cujus vos poſthac pœniteat. Terra, quam explorantes luſtravimus, terra eſt bona inprimis: ſi nobis faverit Jehova, intromittet*

mittet nos in eam, cámque nobis dabit, terram ſcatentem lacte & melle. Cæterùm nè rebellate contra Jehovam, & nè illius terræ incolas timete, quos nos præſidiis deſtitutos, adjuvante Jehovâ, conficiemus. Deponite metum. P. *Lapidentur, lapidentur.* Je. *Quouſque tandem irritabit me iſte populus, Moſes? quouſque mihi fidem non habebit, tot miraculis per me editis apud eum? Quin eum peſte illatâ excindo, ducturus ex te gentem majorem potentiorémque quàm iſta eſt.* M. *Ergò cùm audient Ægyptii (quibus de medio vi tuâ eripueris hunc populum) cúmque audient incolæ iſtius terræ, te, Jehova, qui in hoc populo verſatus, ab eo conſpectus ſis præſens ipſius oculis; te, cujus nubes ſupra eum ſteterit, qui præiveris ei interdiu in columna nubis, noctu in columna ignis: cùm, inquam, audiverint hunc populum à te funditus eſſe deletum; dicent te, quia nequiveris intromittere eos in terram quam eis juraveras, trucidâſſe eos in deſertis. Quare utere excellenti iſtâ virtute, Domine, de qua loquens ità dicebas;* Jehova, ad iram tardus, ad clementiam propenſus, culpam & peccata condonans: in pœna autem irroganda, parentum culpam in natos & nepotes ad tertiam & quartam ſtirpem perſequens, *remitte, quæſo, culpam huic populo, ut tua benignitas poſtulat, útque ab Ægypto hucuſque remiſiſti.* Je. *Remitto, ut poſtulas. Veruntamen nè vivam, niſi Jehovæ gloria replebit totum orbem terrarum. Nam eorum qui viderunt meam gloriam & miracula quæ feci, tum in Ægypto, tum in ſolitudine, & me tamen tentaverunt jam decies, neque mihi obtemperaverunt: eorum, inquam, qui me irritaverunt, nemo videbit terram, quam juravi majoribus eorum. Sed Calebum*

bum meum (quoniam alio animo præditus, quàm cæteri, mihi obſecutus eſt) introducam in terram, quam adivit: eámque poſſidebit ejus progenies. Cras revertimini in ſolitudinem verſus mare rubrum. Etenim quem ad finem tandem audiam iſtius in me ſceleratæ multitudinis Iſraëlitarum maledicta? Renuntia hæc eis: Nè vivam (inquit Jehova) niſi, quemadmodum locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In iſto deſerto cadent cadavera veſtra, & omnis veſtrûm numerus, quotquot recenſiti ſupra vigeſimum annum, murmurâſtis in me. Non intrabitis, inquam, in terram in qua promiſi me collocaturum vos. Excipio Calebum Jephunis, & Joſuam Nunis filium. Parvulos quoque veſtros, quos dixiſtis prædæ futuros, introducam in terram, quam vos renuiſtis; eâque potientur. Atque interea dum veſtra cadavera per deſerta labuntur & conſumuntur, liberi veſtri ibidem pœnas dabunt veſtri meretricii per quadraginta annos, quibus vos ſupplicio afficiemini pro numero dierum per quos dies exploraviſtis terram; totidem annis ductis pro totidem diebus: ſentietíſque quid ſit, in me eſſe contumacem. Ego Jehova & dico, & ſine dubio efficiam, ut hujus perverſæ multitudinis homines, qui contra me coiêrunt, conſumantur, & intereant in hac ſolitudine.

Sent. Nihil eſt pernicioſius illis qui docent, minora ſperare quàm ferunt promiſſa Dei: quibus tamen maxima pars hominum credit. Deus ignavos & diffidentes averſatur atque deſerit, confidentes verò juvat. Tantum quiſque poteſt, quantum ſe divinâ ope poſſe credit, ſi modò ejus fides fundata ſit in Dei promiſſis.

BALA-

BALAAMUS. Num. 22.

ARGUMENTUM.

Aſina Balaami ab ipſo, quia reſtitaret, verberata, loquitur: & Genius, qui ei in via obſtabat, Balaamum alloquitur.

Balaamus, Aſina, Genius.

VT te Deus malè perdat, aſina, quæ me invitum de via avehis in agrum! At ego te pro iſthoc maleficio onerabo ictibus, improba. Ary, ary! quin ergò redis in viam? Nunc ſumus inter duas macerias, non licebit tibi ampliùs declinare. Hei mihi! attrivit mihi pedem ad maceriam. At diſpeream, niſi te malè mulcto plagis! Ary, ary! quid hoc monſtri eſt? Succumbit; at jam faxo te attollas: alioqui hîc te contundam uſque fuſte. Hem! A. *Quid in te commiſi, ut me jam tertiùm caderes?* B. *Rogitas improba, quæ me hîc ludificaris indignè? Atque utinam mihi eſſet gladius præ manu! nam te hîc jam confoderem.* A. *Nónne ego ſum aſina tua, cui tu ſemper hactenus inequitâſti? Nunquid tale ſolita ſum facere tibi?* B. *Nihil.* G. *Balaame, cur cecidiſti aſinam tuam jam tertiò? Ecce, ego ipſe veni tibi adverſatum, quia hoc iter ſuſceptum eſt contra meam ſententiam. Aſina verò ubi me vidit, declinavit me jam ter: quod niſi feciſſet, profectò jam te interfeciſſem, eam verò ſiviſſem vivere.* B. *Peccavi, fateor: ſed non videram te mihi obviàm in via. Itaque ſi hoc iter tibi diſplicet, revertar.* G. *Imò eas licet cum iſtis: veruntamen vide ut ea demum dicas quæ tibi ſuggeſſero.*

Sent. Falſi vates minùs interdum vident quàm jumenta.

TRANSJORDANINI. Num. 32.

ARGUMENTUM.

Reubenenſes & Gadini impetrant à Moſe ſedem trans Jordanem.

Reubenenſes, Gadini, Moſes.

Hæc

H*Æc regio quam Iſraëlitæ ceperunt, cæſis, Jehovâ duce, incolis, regio eſt apta pecori alendo. Nos autem habemus pecus. Quòd, niſi tibi moleſtum eſt, Moſes, liceat nobis poſſidere hanc terram, ut non trajiciamus Jordanem.* M. *Scilicet fratres veſtri ibunt in bellum, vos hîc manebitis otioſi? Cur deterretis animos Iſraëlitarum, nè perveniant in regionem, quam ipſis Jehova dedit? Ità nimirum fecêre patres veſtri, quando ego eos miſi à Cadebarne ſpeculatum regionem. Cùm enim perveniſſent ad fluvium Eſcolem, vidiſſéntque terram, fregerunt deinde animos Iſraëlitarum, nè irent in terram ſibi à Deo datam. Quare iratus Deus eodem die juravit, nullum eorum qui egreſſi eſſent Ægyptum, qui modò exceſſiſſent vigeſimum annum, viſurum terram, quam ipſe promiſerat Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, eò quòd non paruiſſent ſibi: exceptis Calebo & Joſuâ, qui paruerant. Ergò iratus eos ductavit ultro citróque, errantes per deſerta quadraginta annos, donec tandem deſiit totum illud genus hominum qui offenderant Jehovam. Ecce autem vos extitiſtis pro patribus veſtris, qui augeatis numerum nocentium, ut ira Jehovæ in Iſraëlitas incremento augeatur. Nam ſi deſeratis eos, ductabit eos adhuc per deſerta, atque ità perdideritis hunc populum.* R. *Ædificabimus hîc caulas pecudibus noſtris, & urbes parvulis & imbellibus: nos verò in armis erimus parati ante Iſraëlitas, donec collocaverimus eos ſuo loco. Noſtri autem liberi, & cætera turba ad bellum inepta, manebunt in urbibus muratis, ut ſint tuti ab incolis terræ. Nec revertemur domum, quin priùs Iſraëlitæ venerint ſuæ quiſque in hæreditatis poſſeſſionem. Neq; enim cernemus hereditatem*

cum

cum eis trans Jordanem, quibus obvenerit cis Jordanem, orientem verſus. M. *Si quidem re præſtabitis, quod pollicemini verbis, armatique ad bellum, quotquot poteſtis ferre arma, Jehovâ ſpectante, Jordanem tranſmittetis, non redituri niſi deturbatis à Jehova hoſtibus, terrâque ſubditâ Jehovæ imperio: ſi inquam ità agetis, revenietis poſtea purgati & Jehovæ & Iſraëlitis: atque hac quidem lege poſſidetote terram, Jehovâ volente. Sin hæc non feceritis, ſic habetote, vos peccare in Jehovam, veſtrûmque peccatum in vos recaſurum.*

Sent. Quibus jam proſpectum eſt, ii debent cæteros, quibus nondum proſpectum eſt, adjuvare.

RACHABA. Joſuæ 2.

ARGUMENTUM.

Rachaba meretrix abditos apud ſe exploratores Iſraelitarum, clàm demittit per feneſtram, pacta cum eis de ſalute ſua & ſuorum.

Miniſtri regis Hierichuntis, Rachaba, exploratores Hebræi.

R*Achaba, nos ſumus huc miſſi à rege, ut abducamus homines eos qui diverterunt ad te. Venerunt enim gratiâ explorandæ totius regionis: proinde vide ut eos producas nobis.* R. *Ad me quidem venerunt homines quidam, qui cujates ſint me latet. Hi, cùm veſpere clauderetur porta, exierunt: nec ſcio quò ſe receperint. Si voletis conſequi velociter, aſſequemini. Salva res eſt, abierunt. Nunc adeo hoſpites, quos occului in tecto ſub faſcibus lini, ut eos ſervem beneficio meo. Heus, heus hoſpites: dormitis?* E. *Nondum.* R. *Attendite quæ dicam. Non ignoro, Jehovam dediſſe vobis hanc terram, nóſque omnes incolas hujus terræ, perculſos veſtrî terrore, abjeciſſe animos: nimirum audivimus,*

ut exiccaverit Jehova mare rubrum, quò vobis pateret iter abeuntibus ex Ægypto: útque tractaveritis duos reges Amorrhæorum, qui trans Jordanem habitant: Sehonem dico & Oggum, quos delevistis funditus. Quæ res ubi audita eſt, concidimus animis, nec jam quiſquã eſt qui audeat vel mutire in vos; propterea quòd Jehova Deus veſter, Deus eſt tam ſuprà in cœlo, quàm infrà in terra. Quocirca jurate nunc mihi per Jehovam, ſi ego vos demerita fuero meo beneficio, vos quoq; parem gratiam relaturos domui meæ paternæ: & mihi date certum ſignum, quòd conſuletis ſaluti mei patris, & matris, & fratrum, & ſororum, & omnium quæ habent, aſſeretiſque vitam noſtram à morte. Ex. *Fidem damus, nec recuſamus mortem (modò nè indicetis nos) cùm Jehova tradiderit nobis hanc regionem, ni vos bonâ fide conſervaverimus.* R. *Ergò hâc lege demittam vos per funem per hanc feneſtram, quæ proſpicit rus. Rectè eſt, evaſiſtis. Nunc contendite in montes, nè incidatis in eos qui vos perſequuntur; & ibi, dum redeunt, latitote triduum, pòſt ituri.* Ex. *Attende diligenter quæ dicemus. Cùm ingreſſi fuerimus hos fines, tu appendes funiculum iſtum rubrum de hac feneſtra, per quam nos demiſiſti: convocabíſque ad te totam veſtram familiam. Quòd ſi quis è domo tua foras exierit, ſuo id periculo fecerit, nos aberimus à culpa. Quæ verò erunt apud te, ea ſi quis attigerit, nos præſtabimus damnum. Quòd ſi hanc rem palàm feceris, erimus liberi à jurejurando quo tu nos obſtrinxiſti.* R. *Placet conditio. Valete.* Ex. *Et tu.*

Sent. Pios adverſus impiorum injuriam abſcondere, pium eſt: & Deus hujuſmodi officia remuneratur.

GABA-

GABAONITÆ. Joſuæ 9.

ARGUMENTUM.

Joſua deceptus à Gabaonitis, fœdus paciſcitur cum eis.

Gabaonitarum Legati, Joſua.

ADſumus huc è finibus remotis, Joſua & Iſraëlitæ, miſſi ad faciendum fœdus vobiſcum, ſi vobis ità videtur. J. *Fortaſſis habitatis in finibus his: quod ſi eſt, non eſt nobis fas inire fœdus vobiſcum.* L. *Nos quidem parati ſumus dedere nos in tuam poteſtatem.* J. *Cujates eſtis? & unde adeſtis?* L. *Adſumus ex terra admodum remota hinc, moti nomine Jehovæ Dei veſtri. Audivimus enim famam ejus, & quanta facinora ediderit in Ægypto, útque acceperit duos Amorrhæos reges Transjordaninos, Sehonem Heſeboniorum, & Oggum Baſanæ apud Aſtarota. Hac de cauſa mandaverunt nobis noſtri ſenatores, & univerſi noſtrates, ut ſumpto viatico veniremus obviàm vobis, oblaturi vobis ſervitium noſtrum, & pacturi fœdus vobiſcum. Atque ecce panes, quos domi ſumpſimus in commeatum, cùm ſumus profecti ad vos; qui jam marcuerunt, mucuerúntque, ut videtis. Hæ quoque lagenæ, quas replevimus novas, videtis ut ſint laceræ. Veſtimenta etiam, & calcei noſtri, jam detrita ſunt longitudine itineris. Quare nolite putare, nos meditari dolum ullum: bonâ fide agimus, & ut res eſt, ſic loquimur.* J. *Ergò componemus pacem vobiſcum, vóſque conſervabimus, & id jurejurando confirmabimus.*

Sent. Et pii interdum falluntur. Nam quò minùs ſunt ipſi malitioſi, eò faciliùs credunt aliis, eos exiſtimantes ex ſuo ingenio. Itaque cavenda piis eſt credulitas, & cum columbina ſimplicitate conjungenda eſt ſerpentina aſtutia.

JOSUA

JOSVA. *Joſuæ* 24.

ARGUMENTUM.

Joſuæ concio ad populum, in qua commemorat Jehovæ erga ipſos beneficia: & populus ſeſe Jehovæ ſervituturum promittit.

Joſua, Populus.

AVdite univerſi Iſraëlitæ, quamobrem juſſerim vos huc convocari, & quid Jehova Deus Iſraëlitarũ juſſerit me vobis effari. Majores veſtri olim incoluerũt trans flumen, videlicet Thara pater Abrahami & Nachoris, coluerúntque deos peregrinos. Jehova autem illinc evocavit Abrahamum autorem generis veſtri, eũmque perduxit per omnes fines Chananæorum, & auxit progeniem ejus, deditque ei Iſaacum; Iſaaco autem Jacobum & Eſaüm; Eſäo aſſignavit Seir montem poſſidendum. Jacobus ejúſque liberi deſcenderunt in Ægyptum. Ibi cùm excreviſſent in gentem magnam, numeroſámque & potentem, divexabantur ab Ægyptiis. Sed Deus Ægyptios mirè infeſtavit, tandémque eductos ex Ægypto Iſraëlitas deduxit ad mare rubrum: quò Ægyptiis & quadrigariis & equitibus perſequentibus eos, invocaverunt Jehovam, qui illos arcuit à vobis denſâ quadam caligine: immiſſóque mari, eos demerſit, ſpectantibus oculis veſtris tam inaudita facinora. Cùm autem diu manſiſſetis in ſolitudine, introduxit vos in fines Amorrhæorum transjordaneorum: eóſque bellum vobis inferentes, ſubegit vobis: eíſque conciſis, dedit vobis poſſeſſionem eorum agri. Extitit deinde Balacus, Sephoris filius, Moabitarum rex, qui vos bello laceſſerat: accerſivitque Balaamum filium Phegoris, qui vobis imprecaretur diras. Sed noluit Deus audire Balaamum, convertítque imprecationem

precationem ejus in fauſtam precationem, & vos tutatus eſt à manu illius. Ità trajecto Jordane, perveniſtis ad Hierichuntem: & bello reſiſtentes Hierichuntios, & reliquos populos ſuperaviſtis auxilio Dei: qui, quaſi miſſis ante vos veſpis, egit vobis in fugam duos reges Amorrhæorum, nullo veſtro vel enſe vel arcu: vobiſq; dedit & agrum non veſtro labore cultum, & urbes ab aliis quàm à vobis ædificatas, quas incolitis: vineiſque & olivetis, quæ non ſeviſtis, vivitis. Quibus de cauſis veremini Jehovam, eúmque verè & ſincerè colite: & auferte deos, quos majores veſtri coluerunt trans fluvium, & in Ægypto. Quòd ſi non placet vobis ſervire Jehovæ, diſpicite hodie utrùm ſerrituri ſitis diis, quibus ſerviêrunt conditores veſtri trans flumen, an diis Amorrhæorum, quorum fines habitatis. Nam ego quidem & domus mea ſerviemus Jehovæ. P. *Abſit, ut omiſſo Jehovâ, ſerviamus aliis diis. Nam Jehova Deus noſter eſt. Hic eduxit nos, majoréſq; noſtros, ex Ægyptiaca ſervitute: idem fecit in oculis noſtris mira illa miracula, & nos cuſtodivit in omni itinere quod confecimus, & inter omnes nationes per quas iter fecimus: fugavitque nobis omnes gentes, & Amorrhæos incolas. Nos quoq; colemus eum: eſt enim Deus noſter.* J. *Non poteritis colere Jehovam; eſt enim Deus ſacroſanctus, Deus rivalis impatiens, non feret veſtra delicta & peccata. Quòd ſi eo relicto coletis deos peregrinos, avertetur: & vos non minùs multis malis conficiet, quàm antè bonis affecit.* P. *At eum colemus.* J. *Ergò teſtamini, vos deligere vobis Jehovam ad colendum.* P. *Teſtamur.* J. *Itaque tollite deos iſtos peregrinos, & expiate animos veſtros Jehovæ Deo Iſraëlitarum*

ëlitarum. P. *Jehovam Deum noſtrum colemus, & ejus dicto audientes erimus.* J. *Igitur conſignabo hæc literis, & erigam hoc ingens ſaxum ſub hac quercu, quod teſtis erit (utpote quod audiverit omnia Jehovæ ad vos dicta) ſi fortè fregeritis fidem Deo veſtro.*

Sent. Deo Servatori, bonorúmque datori, ſerviri debet.

JAEL. *Judicum* 4.

ARGUMENTUM.

Jael Siſeram Chananæorum ducem dolo occidit.

Jael, Siſera, Baracus.

D*Iverte ad me, Siſera: quò fugis? diverte ad me tutó.* S. *Bene mones. Sed ubi abdes me?* J. *Bono animo es: ſub hoc centone; hîc latebis tutiſſimé.* S. *Amabó, da mihi paululum aquæ quod bibam, nam valde ſitio.* J. *Imò lac dabo ex hoc ſino, quod melius eſt aquâ. Hem bibe. Nunc quieſcito, ubi texero te hâc ſtragulâ veſte.* S. *Sed ſta ad januam caſæ, ut ſi quis me quæret, neges me hîc eſſe.* J. *Fiet. Nunc demum facinus edam majus fœmineâ manu. Quid hoc? Geſtit animus, jubétq; audere ulciſci hoſtem Dei & bonorum. Periiſti Siſera; fœmineâ vi, & fœmineâ manu interimeris.* B. *Quis mihi nunc, quis demonſtret quò fugerit hoſtis? Quem ego ſi aſſecutus fuero, diſperéam niſi ei animam eripio malis modis! Sed quò ſe ſurripuit? quò fugit?* J. *O Deum immortalem! quantum facinus feci? quantam laudem invênit Jaël? Sed videóne Baracum? Ipſe eſt, ſectatur hoſtem jam jacentem. Barace, huc ſis ad me, ut tibi commonſtrem hominem quem quæris.* B. *Obſecro, éſtne apud te?* J. *Videbis.* B. *Proh ſuperi! quid video? Siſeram jacentem humi exanimem? Quis hoc fecit?* J. *Mulieris factum vides.* B. *At*

non muliebre tamen. Sed quæſo, túne hoc feciſti? J. *Ipſa res indicat.* B. *Video: ſed narra, obſecro, quo pacto egeris.* J. *Vidi fugientem, juſſi ut ad me veniret, cúmque operui centone; deinde, cùm jam quieſceret, cepi clavum, quem malleo adegi in tempus ejus. Ille provolutus ad pedes meos, efflavit animam.* B. *Utinam ſic pereant quotquot adverſantur Deo.*

Sent. Turpi morte digni ſunt, qui Deo aut ejus populo adverſantur. Debilium manu vincit Deus fortes.

GEDEON TRITURANS. *Judicum 6.*

ARGUMENTUM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos Madianitas.

Genius, Gedeon.

A*Dſit tibi Jehova, vir fortiſſime.* G. *Quæſo te, Domine, ſi adeſt nobis Jehova, cur tam dira patimur? Ubinam ſunt tot ejus mira facinora, quæ nobis narravêre majores noſtri, nos ab eo eſſe eductos ex Ægyptiis; cùm nos nunc deſeruit & addixit Madianitis?* Gen. *Vade cum tua iſta virtute, & defende Iſraëlitas à Madianitis. Ego ſum tibi autor vadendi.* G. *Amabò te Domine, quâ tandem re defendam Iſraëlitas, qui ſim tenuiſſimus omnium Manaſſenſium, & minimus totius paternæ familiæ?* Gen. *Adjuvante me, concîdes Madianitas ad unum.* G. *Quæſo te, niſi moleſtum eſt, ut ſigno aliquo mihi confirmes te eum eſſe qui mecum loquare. Noli diſcedere hinc, donec redeam ad te, & expromam dapem, quam faciam apud te.* Gen. *Præſtolabor tibi.* G. *Paravi omnia.* Gen. *Pone carnem & panes non fermentatos ſuper hoc ſaxo, & effunde jus.* G. *Hei mihi! ignis conſumpſit omnia, Jehova*

Genius eſt: me miſerum, qui viderim Genium Jehovæ! G. *Salvus es, pone metum; non ideo morière.*

Sent. Dei ope quivis quidvis poteſt.

GEDEON. Judicum 7.
ARGUMENTUM.

Gedeon delectu habito, dimiſsiſq; domum imbellibus, caſtra Madianitarum noctu explorat: deinde cum trecentis militibus aggreſſus profligat.

Jehova, Gedeon, Præco, Phara, Madianita, alter Madianita, Milites.

GEdeon, tu nimis multos habes milites. Quòd ſi cum iſtis copiis vinceretis hoſtes, Iſraëlitæ jactarent ſeſe victoriam adeptos eſſe ſuo Marte: atque ità non ego laudarer, ſed ipſi, id quod detraheret meæ gloriæ. Proinde cura ut proclametur in exercitu, ut timidi repetant domum, & diſcedant ex monte Galaado. G *Præco, indice timidis & cæteris diſceſſum ſecundum legem, ut nôſti.* Pr. *Audite, audite milites. Si quis ædificavit novam domum, neque dedicavit, is domum repetito; nè ſi in prælio occubuerit, alius eam dedicet. Item, ſi quis vineam conſevit, neque profanavit, domum repetito; nè ſi occubuerit in prælio, alius eam profanet. Item, ſi quis uxorem deſponſavit, neque duxit, domum repetito; nè ſi in prælio occubuerit, alius eam ducat. Item, ſi quis timidus eſt & molli animo, domum repetito; nè animi ſui mollitie effœminet animos aliorum.* G. *Rectè eſt, reſtant decem millia: diſceſſerunt viginti millia.* J. *Sed nè ſic quidem ſatìs pauci ſunt: nam quò pauciores erunt, eò mihi glorioſior erit victoria. Deduc iſta decem millia ad aquas: ego eos illîc tibi probabo, & oſtendam, quoſnam velim ire tecum, quos item nolim.* G. *Agitè milites, deſcendite ad aquas.* J. *Da operam ut quicunq; lam-*

lambent aquam linguâ, more canum, hos ſecernas ab eis qui ad bibendum procubuerint in genua. G. *Ità factum eſt. Superſunt trecenti, qui ductâ ad os manu lamberunt aquam: reliqui omnes proni in genua biberunt.* J. *Per iſtos trecentos dabo tibi victoriam, Gedeon: & Madianitas tibi dedam. Quocirca jube reliquis omnibus, ut domum repetant.* G. *Ite domum, Iſraëlitæ, exceptis his trecentis: & nobis relinquite commeatum & tubas.* J. *Gedeon, deſcende, dum nox eſt, ad caſtra Madianitarum, ut intelligas me ea tibi tradere. Quòd ſi ſolus deſcendere vereris, deſcende unà cum Phara famulo tuo, ut audias quæ dicentur, ut ità confirmeris ad invadenda caſtra.* G. *Phara, deſcendamus clanculum in vallem, ut exploremus quid animi habeant hoſtes.* Ph. *Placet.* G. *Cave nè ſtrepitum edas; hîc eſt via.* Ph. *Tace, tace, here.* G. *Quid eſt?* Ph. *Jam non procul abſumus à caſtris.* G. *Sic habet, audio ſtertentes: hîc ſunt extremi armatorum. Sed tace, neſcio quis loquatur.* Ma. *Scin' tu quid ego ſomniaverim?* Al. *Sciam ſi dixeris.* Ma. *Panis hordeaceus videbatur mihi volvere ſe cum ſtrepitu per caſtra Madianitarum, qui tandem delatus eſt ad tabernaculum; quod valdâ vi impulſum, & labefactatum, à culmine dejecit.* Al. *Vis tibi certò interpreter? Enſis eſt proculdubio Gedeonis filii Joæ Iſraëlitæ, cui in manum dedit Deus Madianitas unà cum univerſis caſtris.* G. *Audîſti?* Ph. *Atque equidem libenter.* G. *Satis habeo: noſtra eſt victoria: redeamus ad noſtros. Habemus tibi gratiam, Deus immortalis, qui nobis bene fortunes hoc conſilium.* Ph. *Non eſt dubium quin perierint Madianitæ. O felicem noctem, & quovis etiam*

die clariorem! G. *Adeſte viri, expergiſcimini; vicimus. Deus dat nobis caſtra hoſtium. Sed audite diligenter quæ dicam. Diſtribuam vos in tres claſſes; feretis ſinguli ſingulas tubas manu, teſtáſque vacuas, & in teſtis tedas: ſed videte ut imitemini me. Cùm venero ad extrema caſtra, facitote ut videritis me facientem: cúmque audieritis meam tubam, & eorum qui erunt mecum, vos quoque repentè colliditote teſtas; ſumptiſque manu lævâ tedis, dextrâ tubis, clangitote, & magnum ſtrepitum circum caſtra editote, ſimúlque proclamatote,* Gladius Jehovæ & Gedeonis. *Auditiſne?* Mil. *Audimus & meminerimus.* G. *Vadamus. Jam ferè media nox eſt, ventum eſt ad ultimam partem caſtrorum: vos ambite caſtra: ſed excitantur cuſtodes, clangamus properé.* Mil. *Gladius Jehovæ & Gedeonis.* J. *Pæan.* G. *O Deum immortalem! quid video? Deus convertit ipſorum enſes in ipſos: confodiunt ſeſe mutuis vulneribus.* M. *Ut cadunt crebri! Jam bona pars interiit, cæteri mandant ſe fugæ.* G. *Fugiunt, inſtate viri, urgete, conſequimini, ſectamini; ut è tanto numero nullus evadat.*

Sent. Chriſtianum bellum (quod in Gedeonico adumbratur) à voluntariis, non coactis gerendum eſt: & præſtat eſſe paucos alacres, quàm multos ignavos. Stulti duces milites numerant, ſapientes ponderant.

JEPHTHA. Judicum 11.

ARGUMENTUM.

Jephthæ perſuadent ſenatores Iſraelitarum, ut ſe militiæ ducem præbeat adverſus Madianitas.

Senatores Iſraelitarum, Jephtha.

M*Iſſi ſumus ad te, Jephtha, ab Iſraëlitis, ut à te poſtulemus, ut præbeas te nobis ducem ad gerendum bellum contra Ammonitas. Scimus enim te eſſe eo*

corpo-

corporis & animi robore præditum, eâque peritiâ belli, ut nemo hodie poſſit id præſtare meliùs. J. *Enimvero vos exegiſtis me domo paternâ præ odio: cur nunc venitis ad me, rebus adverſis? Cur non potiùs retinuiſtis me, cùm non egeretis; ut eſſet vobis copia mei, cùm egeretis?* S. *Noli quæſo, Jephtha, meminiſſe injuriæ. Si nos non rectè fecimus, qui te expulerimus; tu rectè facies, ſi maleficium penſabis beneficio, & innocentiam tuam magìs commendabis. Quòd ſi nobiſcum profectus fueris, & debellaveris Ammonitas, conſtituemus te principem omnium Galaaditarum. Atque ità fiet, ut tibi longè plus ſit boni, quàm quanta fuit injuria.* J. *Ergò ſi revocaveritis me ad debellandos Ammonitas, & Jehova ſubegerit eos mihi; obtinebo principatum in vos?* S. *Conteſtamur Jehovam, nos eſſe facturos iſto modo.* J. *Perſuaſiſtis. Eamus.*

Sent. Præſtantes viri, licèt eis in præſentia non egeas, retineri debent in caſus futuros.

RUTHA. Ruth. 1.

ARGUMENTUM.

Noemim ex Moabitica diſcedentem in Iſraeliticam terram, quamvis diſſuadentem, comitatur præ ejus amore Rutha, ejus quondam nurus.

Noemis, Rutha, & Orpha ejus nurus.

P*Oſtquam Deus cepit miſericordiam ſui populi, (ut accepimus) eúmque levavit fame, quæ coëgerat me, & meum virum, & liberos confugere huc ad Moabitas; jam nihil eſt quòd velim diutiùs agere in regione aliena. Sed vobis, meæ nurus chariſſimæ, cenſeo redeundum ſuam cuique in domum patriam, poſtquam eſtis privatæ viris. Jam ſatìs me comitatæ eſtis. Ite ſanè ſecundo Deo, quem precor ut vobis rependat pietatem,*

quâ uſæ eſtis in mortuos, & in me. Det inquam vobis Jehova, ut nanciſcamini quietem, ſuum utraque apud maritum. Amplectimini me, chariſſimæ conjuges meorum olim filiorum. R. *Heu nos miſeras! ſiccine disjungemur à te? Ah! non fiet, ſuaviſſima ſocrus: quin ibimus tecum ad tuos populares.* N. *Nihil opus eſt, meæ filiolæ: an putatis me adhuc utero edituram filios, qui futuri ſint vobis viri? Revertimini potiùs, meæ filiolæ; abite. Nam ego quidem grandior ſum, quàm ut ſim apta viro. Sed fingite non abeſſe ſpem, méque tradi viro vel in proximam noctem, filióſque gignere; an eſtis expectaturæ, donec adoleverint? Poteritíſne tam diu durare ſine viris? Non ità filiolæ: parendum eſt neceſſitati. Equidem valde angor veſtro diſceſſu, ſed nolo repugnare urgenti Deo.* O. *Vera prædicas: melius eſt reverti.* N. *Sapis, amplectere me. Vale mea quondam nurus.* O. *Vale & tu mea quondam ſocrus.* N. *Vides Rutha, ut tua fratria repetat patriam, & deos penates? Quid apud me hæres? Revertere unà cum ea.* R. *Nè me urge de te relinquenda. Nam quo tu cunque ibis, ego ibo: ubi tu commoraberis, ego commorabor. Communis mihi tecum erit populus, communis Deus. Tecum unà moriar, tecum unà humabor; ità omnino ſtatui. Atque ità mihi habeam Jehovam propitium, ut una mors eſt me à te ſeparatura.* N. *Poſtquam ità animum obſirmâſti, nolo improbiùs obſiſtere tuo ſtudio. Eamùs ſanè, Deo bene fortunante.*

Sent. Beati qui Deum Deíque populum anteponunt & parentibus & patriæ: eos Deus largè remunerabitur.

BOOZUS. Ruth. 2.

ARGUMENTUM.

Boozus comiter alloquitur Rutham ſpicas legentem, ejúſque pietatem collaudat.

Boozus, Meſſores, Curator meſſis, Rutha.

A*Dſit vobis Deus, meſſores.* M. *Et tibi bene omnia ſecundet.* B. *Quæ eſt iſta puella, Curator, quam hîc video ſpicas legere?* C. *Moabitis eſt, quæ huc ſecuta eſt Noemim, remigrantem ex agro Moabitarum. Ea rogavit, ut liceret ſibi legere ſpicas poſt meſſores: id quod adhuc fecit à mané: tam paulùm manet domi.* B. *Audi filia, nè iveris in agrum alium ad colligendas ſpicas, néve hinc abieris: ſed hæreto apud meas ancillas, & videto ut ſequaris eas, in quemcunque agrum ibunt meſſum. Ego vetabo, nè famuli ſint tibi moleſti. Quòd ſi ſities, petes potum ex eiſdem vaſis quibus ipſi hauriunt.* R. *Quidnam eſt in me, quamobrem digneris ità reſpicere me, cùm ſim peregrina?* B. *Perlatum eſt ad me, qualem tu te præſtiteris erga tuam ſocrum poſt obitum viri tui: útque relicto utroque parente, terrâque patriâ, contuleris te ad populum tibi antè ignotum. Quod factum Jehova Deus Iſraëlitarum rependet tibi cumulatiſſimo præmio, ſub cujus quaſi alarum præſidium tu te receperis.* R. *Agnoſco tuam gratuitam benignitatem & miſericordiam, qui tam comiter confirmes animum meum conſolando, cùm tamen indigna ſim, quæ vel in ancillarum tuarum numerum veniam.*

SENTENTIA.

Pii favent piis, eiſque benefaciunt.

DISCALCEATUS. *Ruthæ* 4.

ARGUMENTUM.

Boozus, recuſante altero propinquo, emit bona Noemis, Ruthámque ducit uxorem.

Boozus, Propinquus Ruthæ, Senatores.

H*Eus tu qui hâc tranſis, adeſdum, paucis te volo.* P. *Quidnam id eſt?* B. *Conſiſte hîc pauliſper, dum*

evoco aliquot de ſenatoribus civitatis, qui tranſeunt per hanc portam, ut adſint nobis in hoc negotio : nam ſeria res eſt, egétque teſtibus. Heus vos ſenatores ; quæſo vos ut accommodetis huc nobis aliquantiſper veſtram operam. Non faciemus longiùs. S. Adſumus, dic quid velis. B. Partem fundi, qui fuit cognati noſtri Elimelechi, venundat Noemis, reverſa ex agro Moabitarum. Hanc rem viſum eſt mihi ut tibi ſignificarem ; ut, ſi empturus es, emas in præſentia ſenatûs noſtri: ſin minùs, indices mihi. Nemo eſt enim cognatus propinquior te, ſecundum quem ego ſum. P. *Ego verò emam.* B. *Sed cùm fundum emes à Noemi & à Rutha Moabitide uxore demortui, emes eà conditione, ut ipſam Rutham ducas in matrimonium, ut ſuſcites nomen illius in ejus hæreditate.* P. *Non licet mihi hac lege emere, nè corrumpam patrimonium meum. Eme tu, ſi vis, meo loco : mihi quidem emere non licet. Atque in hujus rei teſtimonium accipe calceum meum de manu mea. Ego quemadmodum exui me hoc calceo, ità teſtor me cedere tibi meum jus in hac re.* B. *Vos ſenes & populares, hodie mihi teſtes eritis, ut ego emam omnia bona Elimelechi, & Chelionis, & Mahalonis, à Noemi ; útque mihi vendicem in matrimonium Rutham Moabitidē, conjugem Mahalonis, ut conſulam nomini demortui in ejus hæreditate, nè ejus nomen tollatur ex ejus conſanguinitate & patria. Vos hodie teſtes nuncupo. S. Teſtabimur. Faxit Jehova, ut mulier iſta quæ intratura eſt tuam domum, tam ſit fœcunda, quàm fuerunt Rachel & Lia, quæ duæ prole inſtruxerunt domum Iſraëliticam : útque egregium quid facias in Ephrata, & tibi nominis famam compares Bethlehemæ : fiátque domus*

tua ſimilis domui Pharis, quem Judas ſuſtulit ex Thamare, progenie tibi à Jehova datâ ex puella.

SENTENTIA.

Qui vult defuncti poſſeſſionem, habeat & viduam.
Qui vult quod placet, habeat & quod diſplicet.

SAMSON. Judicum 15.

ARGUMENTUM.

Samſon vinctus, ad Palæſtinos deductus, abruptis vinculis, occîdit maxillâ aſini mille viros.

Judæi, Samſon, Palæſtini.

AN neſcis Palæſtinos habere imperium in nos? S. *Scio.* J. *Cur ergò incendiſti ſegetes eorum, magno noſtro malo?* S. *Par pari retuli.* J. *Atqui huc venimus, ut te vinctum dedamus eis.* S. *Siquidem jurejurando confirmatis, vos non illaturos mihi manus violentas, vinciatis licet.* J. *Fidem damus.* S. *Agité, colligate, ducite, abducite quantum poteſtis.* P. *Euge, adducitur ille hoſtis noſter capitalis, qui immiſit ſceleratas faces in ſegetes noſtras; nunc nunc ulciſcemur. Nunquam hodie effugies, Samſon; hîc tibi finis adeſt vitæ.* S. *Agitè veró, ſi quid animi habetis, aggredimini vinctum: experiar tamen ſi quid habeo ſolitarum virium. Euge.* P. *Periimus, abrupit vincula: ſed invadamus undique: non evadet: præſtemus nos viros.* S. *Sed unde mihi telum? Ecce autem commodùm ſeſe offert hæc maxilla aſini; hæc præbebit vicem clavæ. Pugnate viri pro virili. Sentietis qui vir ſim. Hem tibi, qui primus me laceſſis primus perito. Et vos qui hîc tam densè conglobati eſtis, ſentite quæ ſint vires Samſonis, qui vincit inermis armatos. Heus, cogitatis pugnare pedibus? Quò fugitis? Hîc adeſt hoſtis, nè perdite victoriam. Tu quidem hîc jacebis, tu quoque adjungêris*

ei comes: dormite. Euge Samſon, quantam cædem feciſti! Maxillâ aſini quantam ſtragem edidi! Maxillâ aſini proſtravi mille viros.

SENTENTIA.

Qui Dei ſpiritu præditus eſt, invictus eſt, fruſtráque conſtringitur. Deus ſæpe viliſſimis telis ulciſcitur hoſtes ſuos.

DIALOGORUM SACRORUM LIBER SECUNDUS.

ELIS. 1. *Regum* 3.

ARGUMENTUM.

Jehova Samueli prædicit, ſeſe animadverſurum in domum Elis ſacerdotis, qui in filios ſuos non animadverterit.

Jehova, Samuel, Elis.

S*Amuel.* S. *Quid me vis? Accurram; adſum vocatus à te.* E. *Non vocavi: redi cubitum.* S. *Fiet.* J. *Samuel.* S. *Adſum, Eli: nam vocâſti me.* E. *Non te vocavi, fili: redi cubitum.* S. *Faciam.* J. *Samuel.* S. *Adſum; nam vocâſti me.* E. *Atat, nunc demum intelligo quid ſit. Diſcede cubitum: quòd ſi te vocaverit, reſpondeto,* Loquere Jehova, audio. S. *Faciam.* J. *Samuel, Samuel.* S. *Loquere Domine, audio.* J. *Ego ſum quiddam facturus in Iſraëlitis, quod quiſquis audiverit, prorſus obſtupeſcet. Sum enim aliquando importaturus in domum Elis omnia quæ decrevi, & rem ad exitum perducturus: eique oſtenſurus, me perſecuturum culpam ejus in ejus domum in perpetuum: qui, cùm ſciret filios ſuos malè audire, non animadverterit in eos. Quam ob cauſam juro, hanc noxam nullo unquam vel ſacrificio, vel libamine, Elis poſteritati remiſſum iri.*

Sent. Qui divinæ voci non eſt aſſuetus, eam interdum eſſe putat hominis. Peccantes natos non punire, grave peccatum eſt. Parentum, quamvìs bonorum, indulgentia perdit natos. Natos qui verè & ſapienter amat, caſtigat; ſed nè quid injuſtè, immodicève fiat.

SAVLVS. 1. *Regum* 9.

ARGUMENTUM.

Saulus quærens aſinas patris, it conſultum Samuelem vatem, & ab eo diſcit ſe futurum regem.

Saulus, Puer, Puellæ, Samuel.

ENimvero ſatìs jam diu conquiſivimus aſinas, neq; invenimus. Revertamur domum, puer; nè pater meus, omiſſis aſellis, ſit ſolicitus de nobis. Puer. *Non cenſeo redeundum eſſe, re infectâ. Aiunt eſſe divinum quendã & gravem virum in proximo oppido, qui quicquid dicit futurum, evenit. Conveniamus eum, ſi fortè indicet nobis id cujus causâ venimus.* Saul. *Sed quid offeremus homini? Nam etiam pane exhauſtæ ſunt peræ noſtræ, nec habemus quod dono demus ei; & ire vacuos religio eſt.* Puer. *Tace: eſt mihi in præſentia quadrans ſicli argentei, quem dabo ei, ut indicet nobis quam viam inſiſtamus. Olim inter Iſraëlitas qui ibant conſultum Deum, dicebant ſe ire ad videntem: nam qui hodie dicitur vates, olim vocabatur videns.* Saul. *Rectè mones, eamus. Ingrediendum eſt hoc aſcenſu arduo. Sed video puellas, quæ exeunt aquatum; adeamus eas. Heus puellæ, an non hîc eſt vates quidam?* Puel. *Eſt: & quidem incidetis in eum, ſi pergetis: properate modò: nam hodie venit in oppidum, quia populus facturus eſt rem divinam in ſacello. Simulac introieritis in oppidum, offendetis eum, antequam aſcendat in ſacellum epulaturus: populus enim non inibit epulas ante adventum ejus; quoniam ejus eſt conſecrare*

ſacrificium:

ſacrificium : poſtea epulabuntur invitati. Itaque aſcendite ; non eſt dubium, quin inventuri ſitis eum. S. *Habemus gratiam : aſcendamus in oppidum.* Sam. *Video adoleſcentem huc venientem unà cum puero. Nimirum hic eſt, quem herì prædixit mihi Deus venturum ex regione Benjamitarum, ut eum unctione creem imperatorem Hebræorum, ut eos vindicet ab injuria Palæſtinorum.* S. *Amabò te, indica nobis domum vatis.* Sam. *Ego ſum ille: conſcendite ante me hunc collem: hodie epulabimini mecum; deinde dimittam vos mané, & indicabo vobis quicquid cogitatis cum animis veſtris. Quod attinet ad aſinas perditas tertio abhinc die, tu nè eſto anxius de eis, repertæ ſunt. Sed quorſum de aſellis? Ad te veniamus. Debes æſtimare te eſſe columnam totius noſtræ nationis, omniúmque ſalutem poſitam eſſe in te, tuâque domo paternâ.* S. *Quid ais? In méne, qui genus refero ad Jeminem, ortus ex obſcuriſſima familia Benjamitarum, quæ tribus eſt minima Iſraëlitarum?* Sam. *Concedamus modò in hoſpitium. Deus providebit cætera.*

Sent. Deus opera ſua inopinabilibus occaſionibus ad exitum perducit.

SAMVEL. 1. *Regum* 12.

ARGUMENTUM.

Samuel jam ſenex innocentiam ſuam, & Dei in Iſraelitas beneficia commemorat: corúmque peccatum reprehendit, qui regem ſibi depopoſcerint, & imperato divinitus tonitru eos ad obedientiam cohortatur.

Samuel, Iſraelitæ.

EN, *ego vobis in omnibus obſecutus, regem creavi, deinceps jam vobis præfuturum. Nam me quidem jam ſenem eſſe indicio eſt canities. Mei liberi inter vos*

degunt

degunt, & ego vobis jam ab ineunte ætate præfui. **Hîc** *adſum, reſpondete mihi coram Jehova, & coram ejus uncto: ſi cujus bovem, aut aſinum ſuſtuli; ſi cui injurius, aut violentus fui; ſi à quoquam præmium accepi, ut in ejus culpa conniverem; paratus ſum vobis reddere.* **I.** *Neque injurius in nos, aut importunus fuiſti, neque quicquam ab ullo accepiſti.* S. *Teſtis eſt hodie apud vos, & Jehova, & Jehova unctus, nihil habere vos, quòd me accuſetis.* I. *Planè.* S. *Adeſte igitur: placet vobiſcum diſputare, quanta Jehova, & Moſis & Aaronis creator, & majorum veſtrorum ex Ægypto reditûs autor, tum in vos, tum in majores veſtros beneficia contulerit. Cùm migràſſet Jacobus in Ægyptum, invocatus à majoribus veſtris Jehova, Moſem miſit & Aaronem, qui illos ex Ægypto eductos in hoc loco collocàrunt. Poſtea ipſius oblitos emancipavit Siſeræ duci exercitûs Haſoris, tum Palæſtinis, & Moabitarum regi, à quibus bello vexati ſunt. Deinde invocantibus eis Jehovam, peccatúmque confitentibus, quòd eo relicto Baalim & Aſtarotum coluiſſent; & auxilium contra hoſtes orantibus, ſéque ei ſervituros pollicentibus: miſit Jerobaalem, & Bedanem, & Jephthã, & Samuelem; per quos ità vos ab hoſtibus veſtris undique vindicavit, ut in tuto eſſetis. Vos verò, cùm videretis vos à Nahaſſo Ammonitarum rege invadi, poſtulâſtis à me, ut mutato rerum ſtatu, à rege vobis regi liceret, cùm Jehovam Deum veſtrum regem haberetis. Igitur ecce vobis regem, quem delegiſtis & efflagitâſtis: regem vobis præficit Jehova. Si Jehovam Deum veſtrum reverebimini, eique ſervietis, & dicto audientes ſine contumacia unà cum rege veſtro parebitis;*

tis; bene vobiſcum agetur: ſin minùs, & vos & regem veſtrum Jehovæ manus impetet. Jam verò agité, videte quantam rem Jehova jam nunc in oculis veſtris faciat. Tritici meſſis nunc eſt, quo tempore tonare aut pluere in his finibus non ſolet. Atqui ego jam Jehovam exorabo, ut tonet atque pluat: ut intelligatis, vos in Jehovam gravem culpam commiſiſſe, qui regem vobis popoſceritis. Jehova, cœli terrarúmque Deus, emitte nunc tonitrua & nimbum, ut hic populus ſuum peccatum agnoſcat. I. Ut tonat! Ut pluit! Heu nos miſeros! Supplica pro nobis Jehovæ Deo tuo, nè pereamus; qui ad tot ſuperiora noſtra ſcelera hoc inſuper adjecimus, ut regem nobis peteremus. S. Bono animo eſte. Vos quidem iſtâ re graviter peccâſtis; veruntamen nolite à Jehova deficere, ſed eum toto pectore colite: néve deſciſcite ad vana iſta, quæ neque juvare poſſunt neque defendere; ſunt enim vaniſſima. Neque enim deſtituet Jehova populum ſuum, propter ſui nominis celebritatem, poſtquam ſemel cœpit vos ſibi populum habere. Ego quoque, abſit, ut Jehovam offendam, aut pro vobis ſupplicare, vóſque decente & rectâ viâ deducere intermittam. Tantùm Jehovam metuite, eúmque verè & totâ mente colite; videte enim quantam rem apud vos fecerit. Quòd ſi peccatis indulgebitis, & vos & rex veſter peribitis.

Sent. Juſti homines (qualis fuit Samuel) nemini faciunt injuriam. Magna eſt hominũ erga Deum ingratitudo, qui toties tam fideliter à Deo defenſi, tot beneficiis cumulati, tamen hominem regem ſibi depoſcant: digni ſanè qui inclementi regi ſerviant, quando clementem repudiant. Immenſa eſt Dei clementia, qui ſic ingratos tamen non deſerat. Multùm valent apud Deum preces juſtorum, qui etiam alieno tempore vel pluviam poſſint impetrare.

SOR-

SORTILEGIUM. 1. *Reg.* 14.
ARGUMENTUM.

Saulus Jonathanem filium ſuum vult occidi propter guſtatum mel contra votum populi. Sed populus eum prohibet occidi.

Saulus, Populus, Jonathan.

HUc adeſte omnes populi primates, diſpicite & conquirite, cujus hodie culpâ fiat, ut Deus roganti mihi oraculum non reddat. Nam Jehovam ego Opt. Max. Iſraëlitarum conſervatorem juro, ſi etiam Jonathan filius meus is fuerit, eum eſſe capite pœnas daturum. Vos totus populus cõſiſtite iſthinc, ego & Jonathan conſiſtemus altrinſecus. P. *Ut libet facito.* S. *Jehova Deus Iſraëlitarum age ſeveré. Ducantur ſortes. Atat, nos petit ſors: alter noſtrûm ſit oportet. Sortiamur. Oho Jonathan, ſors indicat te. Indica mihi quidnam feceris.* J. *Guſtavi paululum mellis de capite hujus baculi, quem in manu habebam: quod tu, inſciente me, fieri vetueras. Hoccine mihi capitale eſſe æquum eſt?* S. *Deum ego juro, te moriturum, Jonathan.* P. *Ergò morietur Jonathan, qui tam præclaram victoriam peperit Iſraëlitis? Nequaquam, per Jehovam immortalem; nè pilum quidem amittet, qui hodie Deum ſui facti adjutorem habuerit.*

Sent. In hac vita unius peccatum luunt interdum multi, quia ſunt unum quaſi corpus, cujus membrorum omniũ eſt tanta conjunctio atque cognatio, ut ſit eorum conſenſus tum dolorum, tum voluptatũ. Sed in altera vita, in qua punientur animæ, ſui quiſque, non alieni peccati pœnas dabit.

OBEDIENTIA. 1. *Reg.* 15.
ARGUMENTUM.

Samuel Saulum reprehendit, qui Amalechitas clementiùs, quàm Jehova præceperat, ultus fuerit.

Saulus, Samuel.

Jehovam

JEhovam tibi propitium precor. Feci juſſum Jehovæ. Sam. Quem ergò balatum & mugitum audio? Saul. Oves ſunt, & capræ, & boves, quæ ex Amalechitis abegimus. Nam ab horum pecorum optimis quibúſque necandis abſtinuêre milites, ut Jehovæ Deo tuo ſacrificium fieret. Reliqua funditus excidimus. Sam. Licétne mihi, quod bonâ tuâ veniâ fiat, tibi ſignificare quid mihi Jehova hâc nocte dixerit? Saul. Licet. Sam. Nónne, cùm vel te judice parvus fueris, nunc princeps es tribuum Iſraëlitarum, unctus à Jehova rex eorum? à quo cùm in hanc expeditionem miſſus ſis, juſſúſq; ſceleratos Amalechitas excindere, & bello ad internecionem perſequi; cur ei dicto audiens non fuiſti? téque ad prædam, vetante Jehovâ, convertiſti? Saul. Imò Jehovæ parui, expeditionémq;, ad quam ab eo ſum miſſus, confeci; & deletis Amalechitis, Agagum eorum regem abduxi. Tantùm milites de manubiis pecora, bovéſque, devotorum primitias, deſumpſerunt, quæ Jehovæ Deo tuo immolarentur apud Galgala. Sam. Quaſi verò Jehovæ tam placeant hoſtiæ & ſacrificia, quàm ejus dicto audientem eſſe. Scito obedientiam præſtantiorem eſſe ſacrificio, & obtemperationem adipe arietum. Nam non parendi peccatum perinde eſt ac magia: & contumacem eſſe, eadem in culpa ponitur, ac ſimulacricolam eſſe: & quia Jehovæ mandatum repudiâſti, ipſe te viciſſim regno exiget. Sa. Peccavi, qui contra Jehovæ juſſum, contráq; tua dicta fecerim, milites veritus, eíſque obſecutus. Sed da mihi, quæſo, hanc veniam, ut mecum revertare, ut Jehovam adorem. Sam. Non revertar tecum, qui Jehovæ mandatum aſpernatus ſis, & idcirco ab eo abdicatus regno Iſraëlitarum. Vale. Saul. At non patiar te abire,

abire, ut non me comiteris. Sam. *Quid me retines? Abrupiſti meum pallium: & Jehova hodie Iſraëlitarum regnum à te abrumpit, ídque alteri te meliori tradit. Neque verò fallet Iſraëlitarum triumphator, neque factum mutabit: non enim homo eſt, ut factũ mutet.* Saul. *Fateor peccatum à me eſſe. Sed concede mihi hunc honorem apud Senatores meorum popularium, apúdque Iſraëlitas, ut mecum redeas, Jehovam Deum tuum adoraturo.* Sam. *Agé, agé: prai, ſequar.*

Sent. Nihil placet Deo, quod ejus præcepto contrarium eſt, etiamſi bono alioquin animo fiat. Debet enim homo Deo (ſicut ſervus hero, aut filius patri) ſervire: non ſuo, ſed illius arbitrio.

GOLIATHUS. 1. *Regum* 17.
ARGUMENTUM.

David à Saulo impetrat, ut liceat cum Goliatho pugnare, & illum cum funda & pedo aggreſſus occîdit.

David, Eliabus, Goliathus, Iſraelita quidam, alius Iſraelita, Nuntius, Saulus.

S*Alvete, mei fratres optimi.* E. *Deus det quæ velis, germane lepidiſſime. Ut valet pater?* D. *Optimé, gratia Deo; méque miſit ut viſerem quid ageretis, vobiſque afferrem placentam & decem panes, & teſſeram veſtram acciperem. Dedit etiam mihi decem caſeos, ad centurionem. Sed quam ego vocem audio?* G. *Quid opus eſt vos exire ad prælio dimicandum nobiſcum? Ego ſum Palæſtinus, vos eſtis clientes Sauli. Deligite ex vobis aliquem, qui conſerat manus mecum: qui ſi ſuperaverit me prælio, & interemerit, nos ſerviemus vobis: ſin ego vicero, vos nobis ſervietis. Quantâ ego hodie ignominiâ afficio inſtructos in aciem Iſraëlitas! Date mihi virum*

quîcum contendam ſingulari certamine. D. *Quis eſt importunus iſte, & turgidus gigas, qui tantopere deſpicit nos præ ſe? Cujus vocem & aſpectum contremiſcunt omnes & refugiunt?* Iſ. *Neſcio quis eſt, natus in noſtrã perniciem & dedecus; cum quo nemo audet conſerere manum: adeò ingens eſt, & terribilis.* D. *Quid ergò præmii feret, qui ſuſtulerit eum de medio, & aboleverit hoc tantum probrum Iſraëlitarum? Nam quis eſt impurus iſte Palæſtinus, qui inurit tantam notam ignominiæ caſtris Dei immortalis?* Iſ. *Si quis eum dejecerit, rex eum valde ditabit, locabítque ei nuptum filiam ſuam, donabítque immunitate perpetuâ domum ejus paternam.* E. *Cur veniſti huc, improbe puer? Aut cur deſeruiſti pauculas illas oviculas in ſaltu? Ego novi temeritatem, audaciámque tuam. Mirum, ni veniſti ſpectatum prælium.* D. *Quid ego commiſi? An non erat cauſa cur venirem? Sed adibo alios. Heus tu, quo præmio afficiet rex eum, qui occiderit immanem illum Palæſtinum?* Iſ. *Maximo.* D. *Quonam?* Iſ. *Ornabit eum maximis divitiis & opibus, committétque ei natam ſuam uxorem, & liberabit domum ejus patriam in perpetuum.* D. *Condignum ſanè præmium & regale. Equidem auſim aggredi hominem: neſcio quomodo geſtit animus, indignatúrque tantum licere cuiquam in populum Dei. Haccine ut patiar? impunè ergò nefanda illa probra evomuerit in ſacram gentem? Mori me malim.* N. *Adoleſcentule, jubet rex ut venias ad ſe.* D. *Nihil eſt quod faciam libentiùs. Eamus. O ſi fiat mihi poteſtas pugnandi cum eo, quantum bellum confecero! vel potiùs quantum bellum confecerit DEUS, uno occiſo!* N. *Adduco tibi hîc adoleſcentulum, rex,*

quem juſſiſti accerſi. Saul. *Quid audio? David, túne dixiſti te audere in Palæſtinum illum portentoſum, qui perterrefacit totas noſtras acies?* D. *Bono animo es, ô rex: nè deſpondeat quiſquam animum: vos ſpectabitis; ego ipſe ſubibo hoc certamen, & congrediar cum Palæſtino.* S. *Vide quid dicas, David. Non poſſis pugnare cum eo, adoleſcentulus & rudis belli cum viro robuſtiſſimo & in armis exercitatiſſimo jam à puero.* D. *Nihili facio neque vires, neque uſum armorum ejus: habeo longè aliam rationem certandi. Audi quid dicã. Cùm aliquando paſcerem oves patris mei, leo unà cum urſo invaſit gregem, ovémque corripuit. Eum ego conſecutus cecîdi, eripuique ovem è faucibus ejus. Tum urſus in me irruere: ego verò prehenſum roſtro ad terram affligere, & cædere. Atque ità occîdi & leonem & urſum. Non dubito quin idem exitus maneat nefarium hunc & deterrimum hoſtem, qui audet proſcindere convitiis exercitum Dei immortalis. Jehova qui defendit me à leone & urſo, idem defendet etiam à Palæſtino iſto.* Saul. *Quando tantâ fiduciâ es, per me licet deſcendas in certamen. Adſit tibi Deus. Veruntamen es armandus. Volo accommodare tibi mea ipſius arma.* D. *Nunquam equidem arma tuli. Sed faciam periculum, ſi poſſum uti. Hæc lorica valde me gravat, caſſis quoque premit caput; etiam caligæ ſunt duplo majores, quàm pro meis pedibus: nec enſis admodum decet meum latus; videórque magis alligatus enſi, quàm enſis mihi. Vah! non poſſum ingredi cum his impedimentis. Apage hæc arma, non ſum aſſuetus his ferendis. Malo ferre nota tela: pedum dico, & fundam, unà cum his quinque levibus ſilicibus, quos geram*

in ſacculo. Bene ſpera, rex; cernes me hodie victorem redeuntem cum exuviis hominis ferociſſimi. S. *Ità faxit Deus.* G. *Videóne ego hominem venire ad me? Tandem habeo quîcum certem. Sed quæ, malúm, intemperiæ agitant Iſraëlitas? Quis miſit nobis hunc pulchellum puſionem rubicundum? Heus puer, méne putas canem, qui cogites pugnare pedo? ut te dii deæque omnes, quantum eſt, perdant. Accede ad me ſodes, ut jam propinem te dilaniandum & comedendum volucribus & beſtiis.* D. *Tu quidem adoriris me fretus gladio, & haſtili, & ſcuto: ego verò aggredior te, armatus ſolo nomine Jehovæ armipotentis, Dei copiarum Iſraëlitarum, in quas tu hodie contuliſti omnia maledicta. Hodie Deus concluſit te in manum meam, ut te dejiciam, abſcindámque tuum caput, & paſcam volucres & feras non tantùm tuo cadavere, ſed etiam omnium qui militant in veſtro exercitu: ut ſciant omnes mortales, eum demum eſſe Deum, quem Iſraëlitæ agnoſcunt & reverentur: diſcátque omnis hæc manus ſpectatrix, Jehovam non adhibere enſem aut haſtam in vincendo, cujus ſit unius gerere bella, quique tradiderit vos nobis in manus.* G. *Proh Jupiter! egóne ut hodie hæc audiverim, ídque à puero? At me Deus perdat, niſi te jam diſcerpo his unguibus.* D. *Quin agé, ſi quid potes: interim excipe hunc lapidem rectà in frontem. Ohe Goliathe, corruis qui modò ſtabas tam firmé? At ego te contundam uſquè hoc pedo. Hem tibi. Nunc iſthîc jaces proſtratus manu pueri, qui modò ſolo aſpectu viros & cœlum armis territabas. Hîc te puer jugulat tuo ipſius gladio, caputque tuum horrendum præfigit tuæ haſta, quod oſtentet exercitui.*

Sen-

*Sent.*Nemo vel tam vir eſt,quin facilè vincatur abs quovis, adverſo Deo ; vel tam puer, quin facilè vincat quemvis, propitio Deo. Dei eſt victoria, & credenti nihil arduum.

JONATHAN. 1. *Regum* 20.
ARGUMENTUM.

David & Jonathan inter ſeſe rationem ineunt, quâ reſciſcere David queat quis ſit Sauli erga ipſum animus: & fœdus inter ſeſe in perpetuum paciſcuntur.

David, Jonathan.

QUodnam eſſe poteſt meum tantum in tuum patrẽ peccatum, Jonathan, ut me quærat ad necem? J. *Ad necem veró? Non eſt credibile; nam tanta me res non lateret; quippe, cùm meus pater nullam rem tantam, tantulámve faciat, quam non mecum communicet, nedum ut hoc me celet. Non eſt itá.* D. *At ſcit ut me habeas intimum: ideo hoc te fortaſſe celat, nè ægrè feras. Crede mihi, nil tam certũ eſt, quàm me in ſummo vitæ diſcrimine verſari.* J. *Ecquid ergò me tibi hac in re cõmodare poſſe arbitraris?* D. *Cras, ut túte ſcis, agitur primus dies menſis, quo ego die ſoleo cum rege accumbere. Rure latebo, te ſciente, uſque ad veſperum tertii abhinc diei. Quòd ſi me requiret, dices, tuo permiſſu excurriſſe Bethlehemam in meam patriam, ad ſacrificium Gentilitium, quod univerſi anniverſarium factitamus. Si laudabit, ſalvus ſum: ſin ſuccenſebit, ſcito eum nunquam ad ſaniorem mentem reverſurum. Sed dabis hanc veniam mihi, quem religioſiſſimo fœdere in familiaritatem recepiſti, ut, ſi commerui, tu me interficias potiùs quàm tuo patri dedas.* J. *Deus meliora. Imò ſi ſenſero eum obſtinato animo in tuam ferri perniciem, admonebo te.* D. *Sed quis mihi referet utrùm tibi aſperiùs*

reſponderit? J. *Exeamus ſub dium. Ità mihi benefaciat Jehova Deus Iſraëlitarum, hujus cœli quod vides conditor & habitator, mi David, ut ego cras aut perendie ſcrutabor quid animi habeat meus pater: quem ſi intellexero bene eſſe in te animatum, mittam qui faciat te certiorem: ſin autem tibi malum cogitare; id quoque tibi indicabo, ut, me autore, abeas ſalvus, adſitque tibi Jehova, ut adfuit meo patri. Hæc ego me facturum, teſtor Deum. Quòd ſi fallam, tum Jonathani numen iratum ſit. Quòd ſi tum, cùm tui hoſtes omnes Dei nutu fuerint è medio ſublati, ego jam non ero in vivis, ut tuâ miſericordiâ ſalutem meam invicem cuſtodire poſſis: at certè meæ in poſterum familiæ & generi eam non denegabis. Itaque nunc iterum ineo fœdus, non ſolùm tecum meo nomine, ſed etiam cum tua domo nomine poſterorum: tibíque juro, mi David, quem amo ex animo, facturum me ut dixi. Sed accipe rationem. Cras, quòd novilunium celebratur, tu deſideraberis: nam tua ſeſſio vacabit. Deſcendes autem ad ſummum ter, tribus diebus, in locum, ubi commodè lateas quocunque die negotium hoc fiet: eríſque poſt ſaxum Oſelem. Ego, re factâ, veniam eò, & ad lapidis latus tres ſagittas jaculabor, collimans ad ſcopum. Deinde puerum ad eas petendas mittam: cui ſi dixero eas eſſe citra ipſum; venias licebit, tua res erit in tuto, teſtor Deum immortalem: ſin autem ultrà; abito ſanè, Deo volente. Ac quos inter nos ſermones contulimus, Jehova eſto eorum teſtis certiſſimus.*

Sent. Bonorum indivulſa eſt amicitia; éſtque arctior virtutis quàm ſanguinis conjunctio.

NOVILUNIUM. 1. Reg. 20.
ARGUMENTUM.

Saulus filium ſuum Jonathanem, propter ejus cum Davide amicitiam, jaculo transfigere conatur.

Saulus, Jonathan.

CUr non venit Iſai filius ad cibum capiendum, neque heri, neque hodie? Jo. *Petiit à me veniam concedendi Bethlehemam: futurum enim ſacrificium gentilitium in eo oppido, ad quod adeſſe juſſus eſſet à fratre ſuo. Itaque magnopere orare, ut ſi ſibi vellem gratiſſimum facere, facerem eò ſe conferendi, fratréſque viſendi poteſtatem. Hæc cauſa eſt quamobrem ad regiam menſam non venerit.* S. *O improbæ & contumacis fœminæ progenies! quaſi ego neſciam te Iſæi nati percupidum eſſe, ad tuum quidem & tui parentis dedecus atque ignominiam. Nam quamdiu vivet in terris Iſæi filius, nunquam tu firmum regnum habebis. Quare cura ut ad me ſiſtatur; nam morte dignus eſt.* J. *Cur ità tandem? quid commiſit?* S. *Docebo te hoc jaculo quid commiſerit.* Jo. *At ego hinc effugiam. O rem indignam! actum eſt de Davide, niſi aufugerit.*

Sent. Impii piorum amicitiam ferre non poſſunt. Injuſtis nihil eſt intolerabilius juſtitiâ.

ACHIMELECHUS. 1. Reg. 21.
ARGUMENTUM.

David fugiens Saulum, ab Achimelecho ſacerdote panem enſémque impetrat, ſeſe ad regium quoddam negotium ex ipſius regis mandato proficiſci ſimulans.

Achimelechus ſacerdos, David.

QUid eſt quòd ſolus ſis, nullo comitatu? D. *Rex mihi quoddam negotium mandavit; quod negotium nè quis omnino mortalium reſciſceret, néve quò mitterer,*

præcepit. Eam ob rem famulis certum quendam locum aſſignavi. Quare ſi habes quinque panes, trade mihi; aut quot habes. A. *Panem profanum non habeo, ſed ſacrum habeo, ſi modò tui famuli à mulieribus abſtinuerunt.* D. *Cum mulieribus nihil nobis rei fuit hunc jam tertium diem, ex quo profectus ſum; ſúntque corpora meorum famulorum caſta. Quòd ſi fortè tum, cùm profecti ſunt, fuerant cum uxoribus, atque ità corpora pura non habebant: at hodie quidem, antequam ſacris panibus veſcantur, puri erunt; quoniam hic dies tertius eſt, quod ſpatium luſtrationi tribuitur in noſtra lege.* A. *Igitur accipe panem ſacrum. Nam nullum habeo præter hos appoſititios panes, è conſpectu Jehovæ ſublatos, ſummiſſis ſtatim in eorum locum recentibus.* D. *Habéſne hîc præterea ullam haſtam aut enſem? nam neque haſtam neque enſem cepi, adeò me regis mandatum urgebat.* A. *Hîc eſt enſis Goliathi Palæſtini, à te in valle quercûs occiſi, involutus panno poſt ephodum. Eum tu, ſi vis, capias licet: nam alius nullus eſt.* D. *Nullus eſt iſto melior: trade eum mihi.*

Sent. In periculis interdum ſimulârunt ſancti homines. Lex eſt facta propter hominem, non homo propter legem. David, urgente neceſſitate, panes ſacros inſons comedit, quamvìs non eſſet ſacerdos, & ſolis ſacerdotibus veſci per legem liceret.

DOEGUS. 1. *Regum* 22.

ARGUMENTUM.

Saulus injuſtè curat occidendos Jehovæ ſacerdotes, qui ei Davidem non indicaverint.

Saulus, Achimelechus, Doegus.

AUdi *Achitobi nate.* A. *Adſum domine.* S. *Cur in me conjurâſti, cum Iſai nato: cui & cibaria & enſem dediſti, & pro quo Deum conſuluiſti? Quæ inſidia*

diæ mihi manifeſtò parantur? A. *Ecquis autem eſt ex tuis omnibus æquè fidus atque David? Regis gener, tuo juſſu profectus, & apud te maximâ dignitate habitus? An nunc primùm Dei oraculum ejus nomine ſum percontatus? Abſit à me omne ſcelus: cave nè mihi, aut omnino meæ paternæ familiæ, ullum in hac re crimen imponas: nam iſtius totius negotii ſum planè ignarus.* S. *Morieris, Achimeleche, unà cum tota tua paterna familia. Agitè mei curſores, circundate, & occidite hos Jehovæ ſacerdotes: nam Davidis partes tuentur, ſciebántque profugum eſſe, neque me certiorem fecerunt. Quid dubitatis? Quæ vos religio impedit? Cur & vos mihi non paretis? Agè Doëge, circumveni eos tu, & interfice.* D. *Fiet.*

Sent. Impius princeps ſanguinarius eſt, & ſuſpicioni iræque ſuæ magìs credit & obſequitur, quàm veritati. Miſerum eſt cum judice negotium habere, qui veram cauſæ dictionem non admittit.

DAVID LATITANS. 1. *Regum* 24.

ARGUMENTUM.

David Saulum ſolum nactus in antro, ejus penulæ oram abſcindit. Deinde digreſſus, altâ voce apud eum innocentiam ſuam teſtatur: & Saulus ſuam injuſtitiam confitetur.

Comites Davidis, David, Saulus.

ATat *deflectit Saulus in hoc antrum, ad parendum neceſſitati. Dies advenit, David, quo die tibi Jehova promiſit ſe tibi traditurũ tuum hoſtem in poteſtatem, ut eo utaris ad tuum arbitrium.* D. *Tacete, tacete, obrepam ad eum pedetentim à tergo, dum ventrem exonerat.* C. *Quid facit? non eum interficit? O hominem inſanum, qui tantam, tam ſubitò oblatam occaſionem ulciſcendi hoſtis non arripiat!* D. *Ah, toto animo commo-*

veor

veor poſteaquam oram ejus penulæ abſcidi. Avertat Jehova, ut hoc ejus uncto domino meo faciam, & ei manus afferam: vel hoc ſolo nomine, quòd Jehovæ unctus eſt. C. *Tu nimiùm religioſus es. Nos ipſi faciemus non ità cunctanter.* D. *Nolite Dei munus uſurpare: regem non feciſtis, regem nè delete. Ejuſdem eſt abolere, qui creavit. Sinite eum. Jam exit, ego eum ſubſequar. Heus domine rex.* S. *Ecquis me revocat?* D. *Cur fidem habes dictis eorum, qui dicunt Davidem tibi malum moliri? Vides profectò oculis tuis, ut hodie Jehova, in ſpelunca, tui mihi fecerit poteſtatem: nec defuit qui me in tuam necem cohortaretur: ſed peperci tibi, méque negavi manus allaturum domino meo, qui eſſet unctus Jehovæ. Sed vide, pater, vide tuæ penulæ extremum in manu mea: quod cùm abſciderim, neque te interfecerim, cognoſce & intellige, nullum me ſcelus commiſiſſe, nullum contra te facinus admiſiſſe dignum quamobrem meæ vitæ inſidias tenderes. Suſcipiat hanc Jehova cauſam, téque mihi ſine mea opera ulciſcatur. Vetus eſt proverbium, A ſcelerato prodibit ſcelus. Te quidem meâ manu non ulciſcar. Cui tandem inſtat rex Iſraëlitarum? Quem tu perſequeris? Canem mortuum, pulicem. Jehovam precor ut hujus ſibi cauſæ judicium ſuſcipiat, meáſque partes defendens tuas in me injurias perſequatur.* S. *Tuámne ego vocem audio, David fili? Hei mihi! tu æquum & bonum habes, qui mihi bonum pro malo rependeris; id quod ſatìs hodie oſtendiſti, cùm mihi (quem in tuam manum Jehova concluſerat) mortem non intuleris. Nam quotuſquiſque eſt, qui hoſtem ſuum nactus, indemnem dimittat? Sed te, pro iſto tuo hodierno in me facto, Jehova condigno præmio*

præmio remuneretur. Ego quidem ſcio te regem futurum, & regnum in Iſraëlitas obtenturum. Quare jura mihi per Jehovam, te meam ſtirpem poſt meum interitum non eſſe exciſurum, meique nominis memoriam de mea familia deleturum. D. *Juro.*

Sent. Injuſti calumniatoribus faciliimè credunt. Injuſti malum pro bono, juſti contrà bonum pro malo reddunt:& Deus utroſque tandem pro meritis remuneratur.

ABIGAIL. 1. *Regum* 25.

ARGUMENTUM.

Miſſi ad Nabalem famuli Davidis ad petenda cibaria, repudiantur ab eo. Quo audito, uxor Nabalis Abigail munera Davidi obviàm ferre properat;& ei obviàm facta, ejus in Nabalem iram pacat.

Famuli Davidis, Nabal, Puer, Abigail, David.

D*Avid Iſæi filius te, Nabal, tuámque domum, tuáque omnia plurimâ ſalute impertit. Is, quia audivit ut tonſuram ovium facias, miſit nos ad te rogatum ut (ſi cum tuis paſtoribus non ſolùm ſine ullo maleficio aut injuria, verùm etiam cum magno beneficio ſumus verſati, ità ut eos ab omni jactura tutos præſtiterimus quamdiu fuerunt in Carmelo: cujus nobis rei tui famuli teſtes eſſe poſſunt) benignè nobis facias, hoc præſertim tam fauſto die: & quæ commodè poteris, des cibaria ad ipſius Davidis (tui propè diximus filii) ejúſq; comitum famem propellendam. N. Quis eſt iſte David? Quis eſt iſte Iſæi filius? Iſne eſt ad quem hodie ſervi paſſim à dominis transfugiunt? Scilicet ego cibum potionémque meam, & quæ mactavi ad alendos meos tonſores, dem hominibus mihi prorſus ignotis?* F. *Aliunde nobis proſpiciamus: nam hinc quidem nihil auferemus, ut eum affectum video. Redeamus ad Davidem.* P. *Meus dominus conſuluit ſibi peſſimé.*

Eo narratum omnem rem heræ,ut caveat. Hera, nunc, ſi quando,tuâ eſt opus prudentiâ. A. *Nunquid malum recens ortum eſt?* P. *Et quidem maximum. Miſſi à Davide nuntii è deſerto ad herum noſtrum, ut aliquid hinc per humanitatem auferrent,repudiati ab eo ſunt; & tamen illos experti ſumus viros planè probos: nullâ unquam contumeliâ aut damno affecti,quamdiu ſumus inter eos ruſticati. Quin pro muro nobis noctes diéſque fuerunt, donec verſati cum eis ſumus paſcendo pecudes. Proinde diſpice tu diligenter quid actura ſis;alioquin actum eſt de domino noſtro & tota ejus familia. Nam ipſum quidem convenire, hominem profligatiſſimum ac perditiſſimum,ſtultitiæ ſit.* A. *Famuli, capite properè omnia hæc quæ vobis tradam:quæ impoſita aſinis feretis antè. Ego jam ſubſequar. Hæc mihi properè aſinum. Quàm malè metuo, nè mei viri ſtultitiam luamus! O hominem inſanum,qui pro nihilo habuerit,eum hominem in ſe irritare, à quo maximè poteſt & juvari amico, & lædi infenſo! Sed video ipſum Davidem adverſo colle deſcendentem. Neſcio quid iratus loquitur cum ſuis.* D. *Næ ego fruſtra conſervavi omnia quæ habet iſte in deſertis, ità ut nihil omnino de ſuo deperdiderit: & reddidit mihi malum pro bono? At ità perdat Deus hoſtes Davidis, ut ei ante craſtinum mane nihil prorſum reliqui faciam.* A. *Obſecro te,domine, tibi ad pedes ſuppliciter jacens, ut bonâ me veniâ audias. Vide mi David, nè hominem deſpicatiſſimum Nabalem dignum judices, in quem iram vertas:qui ſicut nomine, ità re ipſâ ſtultus eſt. Nam ego quidem, cujus eſt culpam præſtare, miſſos à te juvenes non videram; neque enim ſiviſſem abire vacuos:*

ſed vides profectò, vir clariſſime, (neque enim dubitari poteſt) te à Deo immortali abſterreri à ſanguine faciendo in tuis inimicis per temetipſum perſequendis: cùm ipſius Nabalis inſania ejuſmodi ſit ipſa per ſe ſupplicium, ut non aliud tuis hoſtibus & invidis imprecandum eſſe videatur. Quare æquo animo patere hoc munuſculum, quod tibi hîc affero, juvenibus tibi merentibus dari auferendum, & mihi hanc noxam remitte. Sic tuas tibi fortunas bella divina gerenti in tuto conſtituat Deus; & te in omni vita omni malo prohibeat. Ac ſi quis tibi infeſtus, & tuæ necis cupidus exiſtat, precor Deum ut te ſemper incolumi, & fortiſſimè conſiſtente, tuus hoſtis variis jactatus procellis diſpereat. Jam verò cùm præclara Dei promiſſa conſecutus, Iſraëlitarum dux fueris conſtitutus, tanta tua felicitas nullâ quaſi labefactabitur labe conſcientiæ, quâ neceſſe eſſet tuam lætitiam contaminari, recordatione effuſi ſanguinis, & ſupplicii ob privatam injuriam ſumpti. Deus faciet tibi meliora, memineriſque aliquando meì. D. *Gratias ago Jehovæ, Deo Iſraëlitarum, qui te mihi hodie miſerit obviàm: nec non tibi, quæ me tuâ oratione à cæde & vindicta injuriæ in me commiſſa avocâris. Nam Deum immortalem teſtor, qui me tibi malefacere prohibet, niſi tu mihi occurrere properaviſſes, Nabalem ante diluculum fortunis omnibus funditus evertiſſem. Verùm ejus culpam tibi condono, tuáque munera grato animo accipio. Abi ſanè domum ſalva.*

Sent. Irritare potentiorem, veſania eſt: bonum malo penſare, ſcelus. Iratum potentiorem muneribus verbiſque pacare, ſapientia eſt.

ABISÆVS. 1. *Reg.* 26.

ARGUMENTUM.

David noctu clàm in Sauli caſtra digreſſus, ejus dormientis haſtam, matellámque ſurripit. Deinde digreſſus in linc procul clamore eum excitat, ſuámque innocentiam iterũ teſtatur, in calumniatores invehens: & ille iniquitatem ſuam iterum confitetur.

David, Abiſæus, Abner, Saulus.

U*Ter veſtrûm deſcendet mecum in caſtra ad Saulum?* Abiſ. *Ego.* D. *Eamus ſenſim & pedetentim per noctem, dum dormiunt hoſtes. En, omnes ſunt oppreſſi altiſſimo ſomno.* Abiſ. *David, David.* D. *Quid eſt?* Abiſ. *Hîc ſtertit Saulus in tentorio, haſtâ humi ad caput ejus defixâ. Abner & reliqui temerè circum eum jacent; nimirum tibi Deus facit tui hoſtis poteſtatem. Vis ergò ut eum ego haſtâ cõfigam ad terram uno ictu non repetendo?* D. *Noli eum perimere. Quis enim adferat manum ei quem Deus unctione creavit regem, quin obliget ſe nefario ſcelere? Aut Deus eum perdat oportet, aut dies ei fatalis veniat, aut in prælio cadat. Certè meam manum à rege creato divinitus avertat Deus. Sed cape haſtam ejus & matellam: abeamus.* Abiſ. *Deus bone, ut altè ſopiti ſunt! Nullus omnino expergiſcitur.* D. *Non ſine numine hæc fiunt. Conſcendamus montem. Volo ego de ſummo cacumine clamare Saulum, & ei oſtendere me non minùs fidum, quàm quemvis eorum, quibus ſtipatoribus utitur. Satìs jam procul abſumus ab eis, nè repentino eorum adventu poſſimus opprimi. Heus Saule, heus ſtipatores Sauli, heus Abner; non mihi reſpondes? Heus, te appello Abner.* Abn. *Quis tu es qui clamas regem?* D. *Næ tu es vir eximius, & dignus qui inter Iſraëlitas principatum teneas. Itáne verò regem dominum cuſtodis, ut ad eum*

necan-

necandum miles quidam modò introierit tentorium? Haud egregium ſanè iſtud feciſti. Per Deum immortalem, vos eſtis digni ſupplicio capitali, qui tam malè cuſtodiatis dominum veſtrum, regem à Deo conſtitutum. Quæſo, vide ubi ſit haſta, & matella regis, quæ erat prope caput ejus. S. *Eſtne iſta tua vox, fili David?* D. *Mea, ô mi rex, & domine. Sed cur tandem perſequeris ſervum tuum? aut quid feci, aut commiſi? Veruntamen nè gravare pauliſper audire me loquentem. Si Deus te mihi infeſtum reddit, precor eum tibi propitium: ſin homines ſunt, execrabiles ſunt in conſpectu Jehovæ, de cujus me hodie patrimonio deturbant, quantū eſt in ipſis, & ad cultum deorum peregrinorum impellunt. Sed non ſinet Jehova terram meo ſanguine funeſtari, quamvìs Iſraëlitarum rex occupatus ſit in perſequendo pulice (ut ità dicam) ut ſi perdicem per montes perſequatur.* S. *Peccavi revertere,* D*avid fili. Jam enim tibi non malè faciam, qui ità abſtinueris te meâ nece. Erravi nimis, quàm imprudenter, fateor.* D. *Hîc depono haſtam tuam, eam petito aliquis juvenum: cæterùm Deus remuneretur quemque ut dignus meritúſq; eſt. Te quidem hodie tradidit mihi in manū, ſed continui me à nece regis. Ergò quemadmodum tuam ego ſalutem charam habui; ſic ille habiturus eſt meā, méq; hoſtili manu liberaturus.* S. *Macte virtute David fili haud dubiè conata perficies.*

Sent. Et juſti juſtè, & injuſti injuſtè facere perſeverant. Calumniatores, tametſi utriſque nocent, tamen revera pernicioſiores ſunt iis qui eorum calumniis credunt, quàm iis quos calumniantur.

PHOEBAS. 1. *Regum* 28.

ARGUMENTUM.

Phœbas Saulo Samuelem elicit ab inferis, & ab eo Saulus futurum exitium ſuum cognoſcit.

Saulus

Saulus, Phœbas, Samuel, Famuli.

P*Hœbas, redde mihi oraculum Phœbi, & excie quem dicam tibi.* P. *At tu ſcis, ut exterminaverit Saulus ex hac terra Phœbadas & divinos; cur me in tantum capitis periculum adducere vis?* Saul. *Jehovam Deum immortalem juro, hanc tibi rem fraudi non futuram.* P. *Ecquem vis tibi excitem?* Saul. *Samuelem.* P. *Fiet: heu me miſeram! diſperii; tu Saulus es, & me indignè decepiſti.* Saul. *Nè formida. Sed quid vides?* P. *Video auguſtam quandam & planè divinam perſonam è terra aſcendentem.* Saul. *Quâ eſt ſpecie?* P. *Vir eſt ſenex, indutus pallium.* Saul. *Samuel eſt, præbebo ei honorem.* Sam. *Quamobrem me eliciendo inquietas, Saule?* Saul. *Magnis premor anguſtiis: Palæſtini me bello petunt; Deus averſatur, nec jam reſpondet, neque per vates, neque per ſomnia: hanc ob cauſam accivi te, ut me doceas quid mihi ſit faciendum.* Sam. *Cur ergò me conſulis, ſi ipſe Jehova tibi non modò non favet, ſed etiam adverſatur? Faciet ille quidem, quod elocutus eſt voce meâ; tibique extorquebit regnum de manu, quod tradet alteri, videlicet Davidi; quia non obtemperâſti ei in ulciſcendis Amalechitis, quibus infenſus erat: eam ob rem ità ſine dubio te accipiet. Quinetiam addicet tecum Iſraëlitas Palæſtinis: & cras tu tuique liberi eritis unà mecum: caſtra etiam Iſraëlitarum tradet Palæſtinis.* Saul. *Eheu!* P. *Periit miſera, corruit. Saule, Saule, quæſo te, obſequere mihi, cape cibum. Tu ſcis ut ſim tibi morigerata, & caput meum ſummo periculo objecerim, ut exequerer tua juſſa. Agedum, præbe te mihi facilem viciſſim, & veſcere cibo, quem*

tibi

tibi apponam, ut recreatis viribus aggrediaris iter. Saul. *Non edam.* F. *Quare? Imò verò edes.* P. *Ius oramus.* Saul. *Quando tantopere urgetis, fiat.* P. *Agedum, ſurge, & recumbe in hoc lectulo, dum ego vobis macto vitulum altilem quem habeo domi, ſubigóque farinam ex qua conficiam panes ſubcineritios.*

Sent. Qui Deum deſeruerunt, tandem deſeruntur à Deo. Deſerti à Deo confugiunt ad eum, à quo antè abhorruerãt, diabolum; à quo nihil nec cognoſcunt, nec conſequuntur, niſi ſuum exitium. Et ſanè æquum eſt ut, qui bonum fugit, incidat in malum.

ACHIS. 1. *Reg.* 29.

ARGUMENTUM.

Achis Gethæ rex, admonitu procerum ſuorum Davidem (qui ad ipſum confugerat) ab exercitu ſuo dimittit.

Proceres Palæſtini, Achis rex, David.

Q*Uinam ſunt Hebræi iſti, quos habes in noſtro exercitu?* A. *David eſt, Sauli Iſraëlitarum regis ſervus, qui mecum egit per hoſce dies, vel potiùs annos, in quo nihil adhuc reprehenſione dignum deprehendi, ex quo ad nos aufugit.* P. *Remitte hominem in eam provinciam cui tu eum præfeciſti; nè, ſi nobiſcum deſcenderit in certamen, in nos ſe convertat. Nam quâ tandem re meliùs poſſit cum ſuo domino reconciliari, quàm horum hominum capitibus? Nónne hic eſt ille David, carmine illo in choreis celebratus?* Saulus mille, decem concîdit millia David. A. *David, Iehovam ego immortalem teſtor, te mihi tuámque caſtrenſem conſuetudinem probari: neque enim ullum adhuc in te vitium, poſteaquam ad me primùm te contuliſti, deprehendi. Sed optimatibus non places. Quamobrem diſcede cum bona pace, nè Palæſtinos proceres offendas.* D. *Nam*

quid ego commiſi? Aut quid in me adhuc deprehendiſti, ex quo primùm in tuum conſpectum veni, ut in bellum contra hoſtes tuos non proficiſcar? A. *Scio equidem te mihi tam placere, quàm ſi divinus eſſes Genius. Sed vetant ſatrapæ Palæſtini, te prælium ſecum inire. Quamobrem manè, ubi diluxerit, proficiſcere ſanè unà cum tui domini ſervis, qui tecum venerunt.* D. *Equidem invitis illis militare nolim: parebitur.*

Sent. Non abs re ſuſpectum eſt perfugarum contra ſuos auxilium.

AMALECHITA. 2. *Regum* 1.

ARGUMENTUM.

Amalechita quidam Davidi necem Sauli nuntiat, cujus necis autorem ipſe ſe eſſe dicit, eámque ob rem David eum jubet interfici.

David, Amalechita.

V*Ideo quendam huc venientem ſciſſâ veſte, & capite inſperſo pulvere. Haud temerè eſt, nimirum aliquem ſiniſtrum nuntium adfert. Undénam ades tu?* A. *Ex exercitu Iſraëlitarum evaſi.* D. *Quid actum eſt? Eloquere.* A. *Fugerunt milites è prælio, multi è vulgo ceciderunt: Saulus quoque & Jonathan ejus filius occubuerunt.* D. *Quî ſcis Saulum & Jonathanem occubuiſſe?* A. *Cùm fortè veniſſem in Gelboem montem, video Saulum innixum haſtæ, cui currus & equitatus jam jámque imminebant: reſpexit ille, & me viſo, huc ades, inquit. Acceſſi. Tum ille; Quis tu es? Amalechita, inquam egò. Aggredere me, inquit, & interfice. Nam magno dolore diſcrucior, nec adhuc poſſum emori. Hîc ego quid agerem? Videbam non victurum poſt tam gravem caſum; itaque interemi, abſtulíque coronam de capite ejus & armillam de brachio: quæ tibi affero, ut*

vides.

*vides.*D.*Heu calamitoſa clades! heu lugubre prælium! ô facinus audax! Cujas es?* A. *Filius ſum advenæ cujuſdam Amalechitæ.* D. *Téne ergò non eſſe veritum iſtâ impurâ manu perdere unctum Jehovæ? Tu juvenis invade hominem, neca. Meritò moreris, & tuo indicio peris, qui te de rege interfecto jactaveris.*

Sent. Si potentes ſic tractarent eos, qui ipſis mortem aut malum inimicorum, tanquam rem lætam, nuntiant, ut Amalechitam hunc tractavit David; aut ſi ſaltem hujuſmodi nuntios averſarentur: minus auderent aſſentatores.

NATHAN. 2. *Regum* 12.

ARGUMENTUM.

Nathan Davidem juſſu Jehovæ, fictâ ad rem narratione ſimili, ità prudenter adulterii homicidiique arguit, ut ipſe David contra ſemetipſum ferat ſententiam.

Nathan, David.

D*Avid, duo homines erant in quadam urbe, alter dives, alter pauper. Dives ovibus & capris bobúſq; abundabat; pauper unam omnino habebat oviculam, à ſe emptam & altam, quæ adoleverat unà cum ipſo & liberis ejus, veſcebatur eodem cibo cum eo, bibebat eandem potionem, quieſcebat in ſinu ejus: breviter, erat ei pro filia. Ad illum autem divitem venit quidam hoſpes, quem accepturus, præteritis pecoribus ſuis, oviculam illam pauperis mactavit.* D. *Per Jehovam immortalem dignus eſt morte, qui fecit iſtud: ovémque certè quadruplo penſabit, qui tantum facinus committere non dubitaverit.* N. *Tu ille es, David. Deus creavit te regem Iſraëlitarum, téque liberavit ex manu Sauli; tibi tradidit domum domini tui, & uxores quas complecteris, tibi Iſraëlitarum, tibi Judæorum familiam dedit, alia atq; alia inſuper daturus, ſi ea non ſatis eſſent. Et tu, contempto ejus præcepto, Uriam Hettæum, Ammonitarum*

rum telis objectum indigniſſimè trucidâſti, ejúſq; uxorem, nullâ Jehovæ habitâ ratione, in matrimonium duxiſti. Ob quæ flagitia, nunquam à tua domo aberit clades. Nam Deus conflabit tibi malum domeſticum; tuáſque uxores, te vidente, alteri tradet, qui cum eis luce palàm congredietur. Tu quidem occultè feciſti, ſed ipſe id faciet in luce, atque in oculis omnium Iſraëlitarum. D. *Peccavi in Deum.* N. *Deus quoque remittit ille quidem tibi peccatum, neque ob id morieris. Sed quia iſtâ re inimicis Jehovæ occaſionem maledicendi dediſti, filius qui tibi natus eſt, morietur. Hæc me tibi nuntiare juſſit Deus.*

Sent. Callidè reprehendendi ſunt potentes. Qui alterum damnat, ſeipsũ damnat, ſi ſimilia committit. Nihil eſt tam tectũ, quin detegatur. Si peccatũ reſciſci non vis, peccare noli.

THECUANA. 2. *Regum* 14.

ARGUMENTUM.

Thecuana fœmina à Joabo ſubornata, oratione tectâ atq; figuratâ impetrat à Davide revocationem Abſalomi ejus filii, ob fratricidium profugi.

Mulier Thecuana, David, Joabus.

F*Idem tuam, ô rex.* D. *Quid mali habes?* M. *Mulier ſum deſerta, & viduata viro, cui ſuperſtites fuerant duo filii: hi cùm ruri fortè inter ſe contenderent, nec eſſet qui litem dirimeret, cecîdit alter alterum, eúmque morte mulctavit. Nunc univerſa me familia urget, poſcens ad necem eum qui ſupereſt, ob interemptum fratrem, cupiénſque perdere unicum hæredem parentum: & quod mihi miſeræ lucis ſupereſt (quod certè eſt perexiguum) extinguere, meique viri nomen memoriámque prorſus è rerum natura tollere.* D. *Recipe te domum tuam, iſta mihi curæ res erit.* M. *Verùm interim periculum eſt, nè, te tuiſque neſcientibus, pœna*

mihi

mihi & meis irrogetur. D. *Si quis in te mutiat, deferto ad me: na ille, faxo, nunquam poſtea te tanget.* M. *Sed memineris, per Deum immortalem, multos eſſe occiſi cognatos, & vindices, à quibus omnibus exitium meo filio metuendum ſit.* D. *Eundem tibi ego Deum jura, me proviſurum nè tuus filius ullum pilum amittat.* M. *Dabis mihi veniam, ſi te liberiùs jam alloquar?* D. *Sané.* M. *Quæ te (malùm) ratio inducit, ut cùm te mihi mulieri viliſſimæ tam facilem præbeas, populo toti, eíque præſtantiſſimo, ità ſis durus & inexorabilis, ut ei nolis condonare profugum tuum, cujus non minùs eſt cupidus quàm ego ſum mei nati? Præſertim cùm in eo non minùs fortaſſe tui generis propagandi ſpes poſita ſit, quàm mei in meo. Neque enim potes habere exploratum, te alium regni ſucceſſorem eſſe procreaturum. Nam moriendum certè eſt, ídque incertum an hâc ipſâ horâ: & ità moriendum, ut in hanc vitam reditus non pateat; non magìs quàm aqua ſemel effuſa recolligi non poteſt: quò magìs nobis habenda ratio eſt, ut in noſtri generis propagatione quodammodo immortales reddamur. Quòd ſi ſupplicii æquitatem prætendis, vide nè non æquitatem, legi parendo, ſed iniquitatem, Deum legis autorem non imitando, ſequi videare. Neque enim ille continuò ſontes perdit, id quod tu minimè omnium ignoras; ſed etiam atq; etiam cogitat de reconciliandis eis, qui ob ſuum aliquod factum ab eo ſunt alienati. Atque ut jam meam rationem intelligas, equidem non ſine dubitatione feci, ut te hac de re adirem. Nam quòd videbam populum ipſum tam parùm apud te valere, nè ipſa nihil poſſem valde metuebam. Et eam ob rem, quò callidiùs te inducerem, ſic mecum ipſa*

cogitavi; Hem, regem adibo, & cum eo, quaſi meum ſit negotium, ſic agam. Quòd ſi obtinuero, ut me contra eorum odium tueri velit, qui me, unà cum filio meo, fortunis omnibus vitâque ipſâ evertere properent: tum ab eo contendam, ut, ſi ſibi conſtare velit, ſuam clementiam, quam uni expoſitam habeat, tam multis clauſam eſſe non patiatur. Quam me rem impetraturam eſſe, ô rex, non diffidebam. Cùm enim præclarè ſcirem, te in jure dicendo, & æquitatem ab iniquitate dijudicando, ſingulari quadam & planè divinâ ſemper fuiſſe prudentiâ præditum; non dubitabam, quin qui tibi nunquam abfuiſſet Deus, idem nunc eſſet in hac juſtiſſima cauſa adfuturus. D. *Nè me cela quod te rogabo.* M. *Roga ſanè.* D. *Nónne iſtud totum feciſti impulſore Joabo?* M. *Ità tibi ſecunda omnia opto, ô rex, ut nullius harum rerum quenquam ulla ex parte autorem habeo, præter Joabum: ipſe juſſit, ipſe præmonſtravit quæcunque dixi; ejus inſtinctu rem omnem involucris figurarum texi: quam tu pro tua divina ſapientia, quâ omnia quæ in mundo conſtant tenes, facilè intellexiſti.* D. *Impetrâſti, Joabe. I ſanè reductum adoleſcentem Abſalomum.* Jo. *Ago tibi gratias immortales, ô rex: nunc demum intelligo, me apud te valere gratiâ, poſtquam hoc ſum à te conſecutus.*

Sent. In aliena cauſa faciliùs judicant homines quàm in ſua. Itaque hominem ab aliena ad ſuam per ſimilitudinem deducere, prudentia eſt.

SEMEIS. 2. *Reg.* 16.

ARGUMENTUM.

Semeis Davidem convitiis proſcindit: quæ David fert patienter.

Semeis, Abiſæus, David.

Prodi,

PRodi prodi, homo ſanguinarie & ſceleroſe. Expetit à te Jehova omnem ſanguinem domûs Sauli, cujus tu regnum occupâſti, quod Jehova Abſalomo filio tuo tradidit. Nunc nunc tua te ſcelera petunt, homicida crudeliſſime, quem ego jam hîc lapidibus obruam. A. *Nónne indignum eſt, canem iſtum mortuum regi convitiari? Víſne ut eum adoriar, eíque caput decutiam?* D. *Quid tum poſtea, fili Sarviæ, ſi convitiatur: & ſi ei Jehova mandavit, ut Davidi malediceret; quis ab eo facti rationem repoſcat? En meus ipſe filius, qui ex meis viſceribus ortus eſt, mortem mihi machinatur: quid faciet Jemine natus? Sinite eum maledicere: nam Jehova juſſu facit. Fortaſſe reſpiciet Jehova meam miſeriam, mihíque bonum rependet pro hodiernis hujus convitiis.* S. *Sceleratiſſime & flagitioſiſſime mortalium omnium, non ſolùm bipedum, ſed etiam quadrupedum nequiſſime, qui per nefarias cædes ad regnum perveniſti, qui Sauli domum funditus extirpâſti, qui hominem optimum, ejus uxore conſtupratâ, crudeliſſimè occidiſti, & ejus neci plurimos te meliores addidiſti, adulteriúmque homicidio cumulâſti: homo perfidioſe & impure, quid poteſt in te ſatìs graviter dici? Quem ego hîc ſaxis jam mactabo, & unius juſtiſſimâ cæde tot nefarias cædes expiabo.*

Sent. Maledicta conſtanter ferre, magni eſt animi: non ferre, effœminati.

ACHITOPHEL. 2. *Regum* 17.
ARGUMENTUM.

Achitophel Abſalomo prudens, ſed impium conſilium dat de opprimendo Abſalomi patre Davide. Verùm Chuſæus Davidi bene volens, altero conſilio illud reddit irritum.

Achitophel, Abſalomus, Chuſæus.

 Abſalome,

ABſalome, cenſeo, ut ego nunc, lectis duodecim hominum millibus, Davidem hâc nocte perſequar; eúmque perterritum, & fatigatum, defeſſúmque, omnibus qui eum eo ſunt fugâ dilapſis, ſolum interficiam: deinde cæteros omnes ad te ſic reducam, ut ſponſa deduci ſolet ad ſponſum. Itá fiet, ut cùm tu unius mortem expetas, cæterorum omnium ſaluti conſultum ſit. Ab. Perplacet quidem tuum conſilium: ſed vocetur huc etiam Chuſæus Archita, ut audiamus quid ipſe quoque dicat. Chuſæe, ſuadet Achitophel, ut regem hâc nocte invadamus, territúmque & à ſuis deſtitutum, ſalvis reliquis, opprimamus. Tu quid cenſes? Sequemúrne ejus conſilium, an non ſequemur? C. Achitophelis conſilium, hominis alioqui prudentis, hac quidem in re non probo. Tu ſcis, ut pater tuus, & qui eum comitantur, homines ſint ſtrenui, & urſâ agreſti pullis orbatâ ferociores. Præterea, pater tuus vir rei militaris ſcientiſſimus, non eſt cum reliqua turba per noctem acturus. Nunc latet in aliquo antro, aut alio loco. Quòd ſi quis principio de tuis ceciderit, & rumor ſparſus fuerit, factam eſſe cædem Abſalomanorum: illi ipſi qui nunc ſunt leonibus animoſiores, exanimabuntur. Sciunt enim univerſi Iſraëlitæ, patrem tuum eſſe virum fortiſſimum, necnon ejus milites. Verùm meum conſilium eſt, ut conveniant ad te omnes Iſraëlitæ à Dane ad Berſabam, qui futuri ſunt arenâ numeroſiores; útque tu ipſe inter eos præſens incedas. Tum eum adorti, ubi ubi erit, rore denſiùs invademus; ut neque ipſe, neque ejus comitum vel unus evadat. Quòd ſi ſe in aliquod oppidum receperit, id oppidum univerſi vel funibus cinctum in flumen itá everriculabimus, ut nè calculus quidem relictus ſit. Ab. Melius

lius eſt iſtud conſilium, quàm Achitophelis: obtemperabitur tibi.

Sent. Impiorum prudentia bonis pernicioſa eſt, piorum ſalutaris. Impiis favere & conſulere contra pios, impium eſt. Rurſus, impios ad piorum ſalutem recipere, pium eſt, & ipſis etiam impiis utile. Minùs enim graves pœnas Deo dabunt, ſi pios non occiderint.

ABSALOMUS. 2. *Reg.* 18 & 19.

ARGUMENTUM.

Abſalomus ex prælio elapſus, de quercu crinibus pendens, à Joabo necatur. Hujus auditâ nece, David ſeſe afflictat, & à Joabo propterea objurgatur.

Miles, Joabus, Achimaas, Chuſis, Speculator, David, Quidam.

C*Um perſequerer fugientes & diſſipatos hoſtes, Abſalomum vidi cæſarie pendentem de quercu.* Jo. *Vidiſti autem? Cur non eum ad terram deturbatum occidiſti? Nam meæ partes fuiſſent, decem te argenteis nummis & baltheo remunerari.* M. *Ego verò, ſi mihi mille nummi in manum annumerentur, non ſim manum filio regis injecturus. Nam, audientibus nobis, præcepit rex tibi, Abiſaóque, & Ettæo, ut adoleſcenti Abſalomo caveretis: nedum ut ego tam perfidiosè, tanto cum vitæ meæ periculo, facerem: neque enim res tanta regi ignota eſſe poſſit. Verùm jam ad eum ventum eſt: tu ipſe vide quid tibi agendum putes.* Jo. *Videbis me non ità cunctantem. Moriêre boni parentis perverſa progenies. Accipe hæc tria tela de mea manu, rectà in medium pectus. Vos mei armigeri, circumfuſi eum occidite. Tu præco, confectum bellum eſt, cane receptui, ut à perſequendo revocentur milites.* A. *Viſne igitur ut ad regem curram, eique renuntiem, Jehovam de ejus hoſtibus ſumpſiſſe ſupplicium?* J. *Tu verò nè feceris hodie, aliàs facies. Hodie quidem non es jucundum allaturus nuntium, propterea*

quòd regius filius eſt mortuus. Tu Chuſi, I ad renuntiandum regi quod vides. C. *Libenter, & quidem curſim.* A. *Quid ſi ego quoque Chuſim curſu conſequar?* J. *Cur conſequaris, fili? Non es obtenturus evangelium.* A. *Sed quid ſi conſequar?* J. *Per me licet.* A. *Curro: facilè Chuſim antevertam.* J. *Nos verò hoc Deo hominibúſque inviſum cadaver in hanc vaſtam voraginem in hac ſylva detrudamus, & lapides inſuper cumulatè exaggeremus, ut tam nefarium facinus memoriâ ac nomine loci notetur. Nam talibus ſunt digni monumentis, qui mortem eis machinantur, quorum beneficio vitam ſunt adepti.* S. *Heus rex, video hominem huc accurrentem ſolum.* D. *Si quidem ſolus eſt, boni aliquid portat.* S. *Video item quendam alium, currentem etiam ſolum.* D. *Is quoque lætum nuntium affert.* S. *Ex curſu priorem conjicere videor Achimaam eſſe Sadoci filium.* D. *Virum bonum nominas, de nuntio læto venit.* A. *Salve rex: & ſimul agendas Jehovæ gratias exiſtima, cujus auſpicio ſubacti ſunt qui in te arma ſumpſerant.* D. *Salvúſne eſt adoleſcens Abſalomus?* A. *Magnam hominum turbam vidi, cùm me huc mitteret Joabus: cæterùm quid ſit neſcio.* D. *Recede, conſiſte iſthîc.* C. *Regem plurimâ ſalute & lætitiâ impertio, cujus Deus hoſtes omnes hodie ultus eſt.* D. *Salvúſne eſt adoleſcens Abſalomus?* C. *Utinam ſic ſint omnes tui hoſtes, ô rex, & quotquot tibi malum machinantur.* D. *Fili mi Abſalome, fili mi, fili mi Abſalome, utinam ego pro te ſim mortuus, Abſalome fili, fili! heu me miſerum!* C. *Luctum attuli, non lætitiam; nec ſolùm regi, qui, audito interitu filii, ſe conjecit in cœnaculum portæ, ubi in luctu ſit, & ſe affligat; ſed etiam populo univerſo,*

cujus

cujus lætitiam audita regis triſtitia in mœrorem convertet: ſed video Joabum huc advenientem: ſtomachatur. J. *O lepidum regem, & dignum cujus adhuc vivat filius! ubinam eſt?* Q. *Surſum eſt.* J. *Quem ego niſi, ſed me comprimam. O turpe ſpectaculum! Itáne verò David? Siccine tuos omnes hodie dedecoras? Et eorum honeſtiſſimam victoriam in fœdiſſimum luctum convertis; qui te, tuóſque liberos, & uxores, tum juſtas, tum concubinas, à crudeliſſima morte vindicaverunt? At non oportet (quod tu facis) ità amare inimicos, ut oderis amicos. Nunc quidem facilè oſtendis, te tuos omnes & nobiles & ignobiles pro nihilo habere. Nam equidem compertum habeo, te unius Abſalomi ſalutem noſtrâ omnium morte velle redemptam. Verùm agé, prodi, & tuos affare leniter: nam per Deum immortalem, niſi tu prodeas, efficiam ut ante noctem omnes ad unum à te deficiant: quo gravius malum nullum unquam in vita tibi evênit.*

Sent. Honora parentes tuos, ſi vis vivere diu. Indignus eſt vitâ, qui in autorem vitæ ſuæ ingratus eſt. Dignus eſt infami morte, qui bonum malo penſat. Ardentem amorem nè ſumma quidem injuria extinguit.

BERZELAEUS. 2. *Reg.* 19.

ARG. Berzelæum pro ejus in ſe meritis vult David in aulam ducere. Sed illo propter ſenectam recuſante, abducit ejus loco Chamaamum

Berzelæus, David.

S*Alve nobis tandem reddite Iſraëlitarum rex.* D. *O ſalve multùm, Berzelae, homo de me multùm bene merite. Trajicies tu mecum Jordanem, ego te apud me alam Hieroſolymis.* B. *At quot annos natus, ut cum rege Hieroſolymam aſcendam? Ago nunc octogeſimum annum: Poterône bonum à malo diſcernere? poterône*

cibo & potione delectari ? Aut ſidicinum ſidicinarûmve cantus audire ? Quid opus eſt ut tibi amplius ſim oneri? Liceat mihi tecum paululùm trans Jordanem progreſſo, (cur enim tanto me cumules beneficio ?) liceat inquam reverti, & in mea patria finire vitam , inque meorum parentum ſepulchro humari. Cæterùm hic Chamaamus tecum perget : hoc tu utêris,ut tibi viſum erit. D. *Ergò trajiciat Chamaamus : ego eum omnibus beneficiis ornabo, quibus ornandum eſſe judicaveris:tibiq; omnia præſtabo quæ à me expetiveris.*

Sent. In homines pios & gratos bene conferuntur beneficia.

BETHSABA. 2. *Reg.* 1.

ARGUMENTUM.

Bethſaba,de Nathanis conſilio,à vetulo Davide impetrat ut rex creetur Solomon.

Nathan, Bethſaba, David.

AN *non audiviſti, Bethſaba, Adoniam Hagithæ filium,regem creatum eſſe,inſcio domino noſtro Davide ? Agé,dabo tibi conſilium, quo tua tuique filii Solomonis vitæ conſulas. Conveni regem Davidem, & ex eo quære qui fiat, ut cùm Solomoni filio tuo regnum poſt ſe, ſoliúmque ſuum ſit pollicitus, nunc regnet Adonias. Ego, te adhuc cum eo colloquente , ingrediar poſt te , & tuam orationem complebo.* Be. *Bene conſulis, adeo eum. Salve rex.* D. *Quid vis?* Be. *Domine,tu mihi per Jehovã Deum tuum juráſti , Solomonem filium meum poſt te regem fore, & in ſolio tuo ſeſſurum. Atqui Adonias , te neſciente,regnum invaſit, bovéſque & altilia,ovéſq; & capras magnâ copiâ immolavit:ad quas epulas cùm regios omnes, Abiatharémq; pontificem , & exercitus du-*

cem

cem Joabum invitaverit, Solomonem tuum non invitavit. In te autem, domine rex, omnium Iſraëlitarum oculi ſunt intenti, ut eis ſignifices ecquis ſit in ſolio tuo poſt te ſeſſurus. Te quidem vitâ defuncto, mecum, & cum meo nato Solomone peſſimè agetur. N. *Salve rex Iſraëlitarum: juſſiſtine Adoniam tibi in regnum ſuccedere? Nam is quidem hodie rus deſcendit, pecoráque multa mactavit, & eò regios omnes natos, exercitúſque duces, & Abiatharem pontificem vocavit; qui nunc apud eum epulantur, Adoniámque regem ſalutant: me verò, & Sadocum pontificem, & Banaiam Joiadæ filium, & Solomonem tuum, non invitavit. Velim ex te ſcire, an hæc res te autore fiat, neque tu mihi ſignificaveris, ecquis ſit in tuo ſolio poſt te ſeſſurus.* D. *Evocetur huc mihi Bethſaba. Audi Bethſaba. Per Jehovam immortalem, qui meam vitam ex tot anguſtiis eripuit, quemadmodum tibi Jehovam Deum Iſraëlitarum juravi, Solomonem filium tuum poſt me eſſe regnaturum, & in ſolio meo pro me ſeſſurum; ſic hodie faciam.* Be. *Vitam regi Davidi precor ſempiternam.* D. *Convocentur huc Sadocus pontifex, & Nathan vates, & Banaias Joiadæ filius.* N. *Adſumus.* D. *Adhibete veſtros conſervos, & Solomonem filium meũ, mulæ, quam habeo, impoſitum, deducite Gehonem; eúmque ibi tu Sadoce, & tu Nathan, regem Iſraëlitarum ungitote: tum tubâ clangitote, & Solomonem regem ſalutatote. Deinde vobis ſequentibus ipſe venito ſeſſum in ſolio meo pro me regnaturus. Hunc enim tum Iſraëlitarum tum Judæorũ imperatorẽ eſſe jubeo.* N. *Faxit Jehova Deus tuus, domine rex, ut quemadmodum tibi adfuit, ſic adſit etiam Solomoni, ejúſque ſolium etiam ſupra Davidicum extollat.*

Sent.

Sent. Sapientioris conſilium ſequi, ſapientia eſt.

SOLOMON. 3. *Regum* 3.
ARGUMENTUM.

Duarum meretricum litem, de oppreſſo per ſomnũ alterius infante contendentiũ, dirimit Solomon divinâ ſapientiâ.

Meretrix, Solomon, Altera meretrix.

T*Uam fidem imploro, ô rex: audi me pauliſper.* S. *Quid novæ rei eſt? loquere.* M. *Ego & hæc mulier in eadem domo agimus, & utraque peperimus: ſed ea triduo poſt me: cúmque domi eſſemus, neque quiſquam præterea adeſſet, mortuus eſt ejus filius noctu, ut fortè incubuit ei. Itaque mediâ nocte ſurrexit, & ſurreptum meum filium, qui meo lateri accubabat, ſuppoſuit ſibi; ſuum autem mortuum mihi, me dormiente. Manè ubi me erexi, mammam infanti datura, video mortuum. Hîc ego, cùm jam diluxiſſet, dum eum diligenter contemplor, animadverti non eſſe eum quem pepereram.* A. *Non ità eſt: quin meus eſt qui vivit, tuus qui interiit.* M. *Imò verò tuus mortuus eſt, meus vivit.* A. *Mentiris.* M. *Non enimvero mentior, ſed dico quod res eſt.* S. *Utraque ſuum eſſe affirmat eum qui vivit, demortuúmque repudiat. Cedo huc mihi tu cultrum: partimini æqualiter puerum viventem, & date utrique dimidium.* M. *Obſecro te, rex, detur ei potiùs totus, quàm intereat.* A. *Nec meus eſto nec tuus, placet dividi medium.* S. *Eum adjudico priori, quæ perimi vetat; nam ea mater eſt.*

Sent. Ad pleraſque lites dijudicandas opus eſt divinâ ſapientiâ. Judici multa ſimulanda ſunt, ut ſapienter judicet. Et verum & fictum amorem res ipſa detegit.

ROBOAMUS. 3. *Regum* 12.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Roboamus, repudiato ſenum ſano conſilio, juvenum inſanum conſilium ſequitur de opprimendo majori inſuper ſervitute populo, quàm ipſius pater Solomon oppreſſerat.

Roboamus, Senes, Juvenes.

PEtiit à me univerſum Iſraëlitarum vulgus, ut quoniam meus pater jugo eos preſſiſſet, ego illius ſervitutis gravitatem levarem: ſe enim ità demum mihi obedituros. Nunc ex vobis, ſenes, ſcire velim, quid mihi ſuadeatis ut eis reſpondeam ſuper hac re. S. *Si hodie populo obſecutus fueris, eique obtemperans humanè reſponderis, habebis eum ſemper obtemperantem.* R. *Audio. Nunc exite pauliſper foras. Introducantur juvenes, æquales mei, mecúmq; educati. Quid mihi autores eſtis, juvenes, ut populo reſpondeam, petenti ut ſibi à gravitate ſervitutis, quâ ſint à patre meo oppreſſi, relaxem aliquid?* J. *Tu verò reſpondeas, tuorum membrorum minimum craſſius eſſe, quàm tui parentis medium corporis truncum: Quòd ſi ille eos gravi jugo preſſit, te preſſurum graviore; ſi eos ſcuticis ce cîdit, te eos ſcorpionibus conciſurum.* R. *Probè. Veſtrum mihi conſilium magìs probatur, quàm ſenum: itaque id ſequar.*

Sent. Senum propria eſt prudentia, juvenum temeritas. Stulti ſtultorum conſiliis libenter obſequuntur.

SAREPTHANA. 3. *Regum* 17.

ARGUMENTUM.

Elias miſſus à Jehova, Sarepthanam mulierculam, perpetuatâ ejus farinâ, & oleo, à fame tuetur.

Elias, Sarepthana mulier.

HEus mulier, quæſo te ut petas paululum aquæ in aliquo vaſculo, quod mihi bibendum des. S. *Ego verò & perlibenter.* E. *Sed heus, afferto tecum & fruſtum panis.* S. *Ego verò (Jehovam Deum tuum immortalē teſtor)*

ſtor) coctum non habeo: ſed tantùm farinæ pugillum in cado, & olei puſillum quid in ampulla. Nunc colligo paululum ligni, ad id, quod habeo, mihi meiſq; liberis parandum: quo conſumpto, ſupereſt ut fame pereamus. E. bono es animo, l factum ut dixiſti. Sed mihi priùs depſtitium inde confectũ afferto, deinde tibi tuiſq; liberis factura. Nam hoc tibi à Jehova Iſraëlitarum Deo confirmo, non priùs farinæ cadum & olei ampullam exhauſtum iri, quã Jehova terram pluviâ irrigaverit. S. Faciam, ut jubes.

Sent. Tenues & famelicos reſpicit Deus. Tenues & famelici multò faciliùs credunt Deo quàm potentes & ſaturi. Primitiæ debentur Deo & ſuis. Deus eorum laborem felicitat, qui Deo primas tribuunt. Feliciter habet, qui Deo habet, quantulumcunque habet.

ELIAS. 3 *Regum* 18.
ARGUMENTUM.

Elias cùm latuiſſet tres annos, & ſex menſes, quo toto ſpatio non pluerat, inventus ab Abdia venit ad regem Achabũ: & convocatis Baalis Lucaniſq; vatibus, conſtituto inter ipſos & Eliã certamine de litatione, cùm illi litare Baalinõ potuiſſent, ipſe Jehovæ litat. Deinde vates illos necandos curat. Poſtremò conſcenſo monte Carmelo, pluviam impetrat à Jehova.

Abdias, Elias, Achabus, Populus, Vates Baalis, Puer Eliæ.

MIſit me rex ad quærendam totâ regione aquam, ſi fortè gramen invenire poſſimus, quo toleremus equos & mulos, nè jumentis privemur. Ipſe rex aliâ viâ ejuſdem rei gratiâ profectus eſt. Jam enim tres annos & ampliùs nulla fuit pluvia: itaq; omnia peraruerunt, nec uſquam viriditas ulla poteſt inveniri. O Elia, tuæ preces nobis invexerunt hanc ſiccitatem: quæ non niſi tuis ejuſ-

dem

dem precibus finiri poteſt, ſicut ipſe minatus eſt. Quòd niſi pateris inveniri te, actum eſt, periimus. Sed video venientem huc hominem hirſutum, qui habet latera cincta cingulo pelliceo. Fallórne? An is eſt ipſe Elias? Certè videtur. Heus, túne es dominus Elias? E. Sum; I nuntiatum domino tuo, adeſſe Eliam. Ab. *Nuntiatum veró? Quid peccavi, ut tu me Achabo necandum objicias? Jehovam ego immortalem juro Deum tuum, nullam gentem, nullum regnum eſſe, quò dominus meus non dimiſerit qui te conquirerent. Cúmq; negarent adeſſe te, ille regna & gentes obteſtabatur, ut dicerent an tu illîc eſſes, quòd te nuſquam inveniret. Et tu mihi nunc jubes, ut domino meo nuntiatum eam, adeſſe Eliam? Qui poſtquam à te digreſſus fuero, auferet te Jehovæ ſpiritus neſcio quó. Ego interea, qui hoc Achabo nuntiatum ivero, cùm ille te non invenerit, interficiar ab eo. Et tamen Jehovæ reverens fui à pueritia: niſi fortè tibi relatum non eſt, quid ego, Jezabele vates occidente, fecerim; ut eorum centum abdiderim in duabus cavernis, videlicet in utraque quinquaginta, & eos pane & aquâ aluerim. Et tu mihi nunc jubes, ut eam ad nuntiandum domino meo, adeſſe Eliam, quò me interficiat?* E. *Sic vivat armipotens Jehova, cui ego apparere ac miniſtrare ſoleo, ut ego me Achabo oſtendam hodie.* Ab. *Poſtquam iſtud mihi ità confirmas, ibo. Salve rex; incidi in Eliam.* Ac. *In Eliam autem?* Ab. *Itá.* Ac. *Eliam tu inveniſti?* Ab. *Eum ipſum.* Ac. *Quæſo te, adeſt Elias vates?* Ab. *Adeſt Elias vates.* Ac. *Duc me ad eum continuó.* Ab. *Eamus hàc, inveniemus. Atque eccum tibi obviám.* Ac. *Túne is es qui perturbas Iſraëlitas?* E. *Non ego Iſraëlitas perturbo,*

turbo, ſed tu, tuáq; paterna familia; qui, omiſſis Jehovæ præceptis, Baalis ſequimini: quæ cauſa fuit, ut Jehova vobis iſtos ardores immiſerit. Verùm cura mihi convocandos omnes Iſraëlitas in montem Carmelum, Baaliſq; vates quadringentos quinquaginta, & lucanos vates quadringentos, Jezabelis convictores. Ac. *Fiet ità. Adſunt quos juſſiſti, Elia.* E. *Audite veró, Iſraëlitæ: Quouſque in utramque crus claudicatis? Si Jehova Deus eſt, hunc ſequimini: ſin Baal Deus eſt, Baalem ſequimini. Nihilne reſpondetis? Ego unus Jehovæ vates ſuperſum, cùm Baalenſes vates ſint quadringenti quinquaginta, lucorúmque vates quadringenti. Dentur nobis duo tauri, quorum unum illi ſibi deligant, diſſecéntque, & lignis imponant, neque ignem ſubjiciant: alterum ego immolabo, ſupérque lignis collocabo, nec ignem ſupponam. Tum vos dei veſtri nomen appellate: Ego Jehovæ nomen appellabo. Ac qui Deus igne de cœlo demiſſo annuerit, ſéque exeratum oſtenderit, is Deus habeatur.* Po. *Placet veró; atq; ità fiat.* E. *Vos igitur, Baalis vates, deligite vobis taurum alterum, & priores facite, quoniam plures eſtis; deíque veſtri nomen invocate, nullo igne ſubjecto lignis ſacrificalibus.* V. *Accipimus cōditionem: Mactemus taurum, imponamus fruſta lignis. O Baal, exaudi nos; ô Baal, demitte ignem de cœlo, quo te Deum eſſe oſtendas; Baal, Baal; ô Baal, ô Baal præpotens deus; Baal, ô Baal deus noſter: noli committere, ut unus Jehovæ vates plus poſſit apud Deum ſuum, quàm nos octingenti quinquaginta apud te. Effice Baal, ut quoniam te plures colunt quàm Jehovam, majores etiam vires habere videaris. O Baal, Baal, Baal: O Baal, non audis nos? Non te ritè coluimus hactenus? Quid in te*

commiſimus?

commiſimus? Non vis tuas vires oſtendere? Quò plures habes cultores, nónne aquū eſt eò te magis exorari? Baal, ô Baal, niſi nos exaudis, actum eſt de te, déque tuo populo. Unus hic Jehova vates tuum cultum abolebit. Quis te colet, ô Baal? Quis te deinceps adorare volet, ô Baal? Baal, ô Baal, quis te non contemnet, & pro nihilo ducet, ſi nos in tanto diſcrimine non exaudiveris? In quem verò magis neceſſarium uſum reſervabis tuam potentiam? Nos te invocamus, nos aram tuam prætergredimur, & jam meridies eſt, neque tu reſpondes, aut exoraris. O Baal, Baal, ô Baal, noli perdere nos. E. *Clamate majore voce. Certè enim deus eſt: ſed forſitan aliquid altius contemplatur, & animo agitat, quàm ut poſſit iſtas tam exiles voces audire; aut occupatus eſt, aut iter habet; niſi fortè dormit, ut ſit expergefaciendus. V. Heus Baal deus noſter, quid amplius tibi faciemus? O Baal, ô Baal, ô Baal.* E. *Euge, rectè, ſecate vos iſto modo gladiis & cultellis, ut à vobiſipſis cruentati, miſericordiam Baalis excitetis. Sed nihil reſpondet, nec attendit veſtros clamores. Surdo canitis. Agite jam omnis populus, accedite ad me. Inſtauremus aram Jehovæ, quæ diruta eſt, & ſaxa duodecim capiamus, pro numero tribuum filiorum Jacobi. Ex his ſaxis aram Jehovæ nomine conſtruamus, & circum eam ducamus profundam ſcrobem. Agité, componatur ſtrues lignorum, mactetur taurus & ſuperimponatur. Rectè eſt. Replete quatuor amphoras aquá, & eam in hoſtiam, inque ſtruem effundite. Iterate idem; tertiate. Bene eſt. Redundat aqua circum aram, ipſámque ſcrobem replevit: nè quid fraudis ſubeſſe putetis. Nunc ô Jehova Deus Abrahami, Iſaaci, & Iſraëlis, effice*

 ut

ut hodie intelligatur apud Iſraëlitas, & te Deum, & me ſervum tuum eſſe, tuóque juſſu hæc omnia feciſſe. Exaudi me, Jehova, exaudi me, ut ſciat hic populus te Jehovam eſſe Deum, qui eorum animos retro flexeris. Po. *O rem miram! Ignis delapſus à Jehova, & hoſtiam & ligna, & ſaxa, & humum abſumpſit, & ſcrobis aquã lambit. Jehova Deus eſt, Jehova Deus eſt.* E. *Si igitur Jehovam eſſe Deum agnoſcitis, & ad terram proni adoratis, comprehendite Baalenſes vates omnes, qui vos à Jehovæ cultu magno veſtro malo avocârunt. Cavete nè quis omnino evadat. Agité, ducamus eos ad Ciſonem fluvium, jugulentur hîc vates omnes Baalis, nè quem deinceps à veri Dei cultu poſſint avertere. Perite populi deceptores, corruptores, atq; peſtes, & dignas præſtigiis veſtris pœnas date: ut deinceps adoretur, & in honore habeatur is unus, cui debentur omnia. Nunc Achabe, aſcende, & I ad capiendum cibum. Sentio enim jam adeſſe murmur pluviæ. Ego aſcendam in verticem Carmeli. Sequere me, puer.* Pu. *Faciam, here.* E. *Agè jam puer, dum ego hîc in ſummo Carmeli jugo maneo, I ſpectatum mare verſus: & mihi, quod videris, renuntiatum venito.* Pu. *Libenter, here. Feci, here: neque quicquam vidi.* E. *Revertere eôdem ſepties.* Pu. *Parebitur. Jam iterum venio. Jam tertió. Jam quartó. Jam quintó. Jam ſextó. Supereſt ut ſeptimò ſpeculatum eam. Here, vidi nubeculam inſtar palmæ hominis ex mari efferri.* E. *Inſtat pluvia; I nuntiatum Achabo, ut junctis jugalibus in urbem deſcendat, nè à pluvia opprimatur.* Pu. *Eo.* E. *Ego ſuccinctis lateribus ei Jezrael præcurram.* Pu. *Salve, rex. Jubet Elias ut properè jungas equos, & te in urbem recipias, nè te pluvia opprimat.* Ac. *Agitè mei,*

feſtinemus

feſtinemus; ingruit pluvia, nigreſcit cœlum nubibus atq; vento; properemus; vix evademus, quin madefiamus.

Sent. Juſtorum preces incredibile dictu quantum polleant apud Deum. Injuſti juſtos accuſant eorum malorum quorum ſunt ipſimet autores. Præſente Eliâ, nihil poſſunt Baalenſes. Præſente Jehovâ, torpet Baal. Ut nox diei, ſic veritati cedit mendacium. Impiorum plena ſunt omnia: piorũ exiguus eſt numerus. Sæpe magis uni credendũ quàm mille: nam paucorum eſt ſapientia. O cæcum genus hominum! quando tandem hæc videbitis? aut quæ tandem lux penetrabit iſtos oculos? Nunquámne niſi ſerò ſapietis? Utinam adſit aliquis igneo ſpiritu, igneâque oratione Elias, qui charitatis ignem de cœlo devocet, quo noſtrarum precum ſacrificia exardeſcant, ut deinceps ſolus Jehova extollatur!

MICHAEAS. 3. *Reg.* 22.

ARGUMENTUM.

Achabo Iſraelitarum regi conſulunt falſi vates, ut Ramotha Galaaditicam urbem bello adoriatur: fore enim, ut eâ potiatur. At Michæas vates contrarium prædicit, eámque ob cauſam conjicitur in vincula.

Achabus Iſraelitarum rex, Joſaphatus Judæorum rex, Vates, Nuntius, Sedecius, Michæas.

A*Dſunt hîc vates, Joſaphate, plus minus quadringenti, quos ad explorandam Dei voluntatem cenſuiſti accerſendos.* J. *Video: supereſt ut eos interroges.* A. *Quid mihi autores eſtis, vates? Cenſetíſne ut bello Ramotha adoriar, an ab incœpto deſiſtam?* V. *Nos verò cenſemus ut adoriaris, nam victoriam tibi annuit Dominus.* J. *Nunquis præterea hîc eſt Jehovæ vates, ex quo ſciſcitemur?* A. *Eſt item unus, ſed quem malè odi: quoniam nihil unquam mihi, niſi ſiniſtrum, vaticinatur. Is eſt Michaas, filius Imlæ.* J. *Non decet regem ità loqui: ſed jube eum acciri.* A. *Tu ſiſte huc nobis properè Michæam.* N. *Ità faciam.* S. *Vidéſne hæc, Achabe,*

Cornua ferrea, quæ ego fero? Hoc tu modo quaſi cornu petes & fundes Syros ad internecionem: ità tibi per me futurum pollicetur Deus. V. *Ità prorſus fiet. Aggredere ſanè Ramotha; feliciter pugnabis, eámque Dei beneficio capies.* N. *Cæteri quidem vates omnes, Michæa, regi uno ore felicem ſucceſſum promittunt. Itaque cenſeo ut tu quoque ei bene omineris, quemadmodum ipſi.* M. *At ego Deum immortalem juro, me ea ſolùm dicturum, quæ mihi divinitus inſpirata fuerint.* A. *Michæa, quæ eſt tua ſententia? Armáne in Ramotha inferemus, an non?* M. *Quid ni inferas? Nam tibi victoriam annuit Jehova.* A. *Quonſque tandem mihi illudes? Te etiam atque etiam obteſtor per nomen Jehovæ, nè mihi quicquam niſi verum dicas.* M. *Nunc verum audies. Vidi omnes Iſraëlitas palantes in montibus, ſicut oves ſine paſtore ſolent. Atque Jehova, Non habent iſti dominos, inquit: redeant ſuam quiſque domum cum bona pace.* A. *Dixíne ego tibi, eum nihil mihi niſi infauſtum prædicturum?* M. *Igitur audi certiſſimum oraculum. Vidi Jehovam in ſolio ſuo ſedentem, omni cœleſti exercitu dextrâ lævâque ſtipatum, atque ità dicentem; Ecquis mihi in errorem inducet Achabum, quò Ramotha, ibi caſurus, invadat? Cúmque alius aliud diceret, proceſſit quidam ſpiritus, qui ſtans ante eum, Ego, inquit, facturum me recipio. Cui Jehova; Quonam modo? Tum ille; Aſpirabo falſa omnibus ejus vatibus, quæ dicant. Probè, inquit Jehova, ſuccedet: aggredere negotium. Nimirum ex his liquet, omnes iſtos tuos vates eſſe falſo ſpiritu affiatos, & Deum tibi malè cogitare.* S. *Accipe colaphum pro iſto tuo mendacio. Nam quà ratione divinum numen, cujus tu inſtinctu te loqui ſimulas, à me*

emigravit,

emigravit, ut te docuerit? M. *Tum ſcies, cùm trepidus te in intima penetralia penitus abdes.* A. *Corripe Michæum, & eum deduc ad Amonem prætorem urbanum, & Joam regium filium; & jube meo juſſu in carcerem concludi, atq; ibi pane atro & aquâ parcè ac duriter paſci, donec ſalvus redeam.* M. *Siquidem ſalvus redibis, nihil cauſæ eſt quò minùs dicar mentitus oraculum: atque equidem hoc clariſſimâ voce omnibus inculcatum volo.*

Sent. Falſi vates (quorum ingens eſt numerus) dicere ſolent quæ placeant hominibus, & inprimis aſſentari principibus. Veri vates (qui pauci eſſe ſolent) aſſentari neſciunt, & improbis ſemper dura dicunt. Et quoniã improbi in hac vita dominari ſolent, fit plerunq; ut veritatis præmium vincula ſint & neces. Nam obſequium amicos, veritas odium parit. O mundi potentes, utinam hæc in animos veſtros demittatis!

SUNAMITIS. 4. *Reg.* 4.

ARGUMENTUM.

Eliſæus, ab hoſpita ſua Sunamitide oratus, ejus filium revocat in vitam.

Eliſæus, Gibezis, Sunamitis.

E*Cce Sunamitidem illam hoſpitam noſtram, Gibezi! curre ei obviàm, rogaturus utrùm valeat ipſa, & vir, & puer ejus.* G. *Faciam. Salve mulier, ſatíſne ſalva es? & tuus maritus, & puer, valéntne?* S. *Valent: ſed ſine me pervenire quò volo.* G. *Quónam properas?* S. *Ad tuum herum.* G. *Neſcio quid novi videtur accidiſſe huic mulieri. Sed quid iſtud rei eſt? Heus mulier! Túne audes pedes vatis complecti? Apage.* E. *Sine eam: animo ejus malè eſt, quod me Jehova celavit.* S. *Petierámne à te filium? Annon admonueram, nè mihi imponeres?* E. *Accingere Gibezi, & cape meum baculum, atque abi: ſi quem offenderis, nè ſalutato; ſalutatus nè reſalutato. Ubi eo perveneris, bacillum faciei pueri*

 imponito.

imponito. G. *Eo.* S. *At ego profectò nunquam te omittam, quin unà mecum venias.* E. *Agè ſanè, tuæ voluntati obſequar: præi, jam te ſequar.* G. *Here, feci ut juſſeras: ſed puer neque vocem edit, neque audit, neque potuit omnino expergefieri.* E. *Ne trepida, mulier: introeamus cubiculum. Hic quidem planè mortuus jacet in meo lectulo. Exite foras, & me hîc relinquite ſolum cum ſolo, clauſâ januâ.* G. *Neſcio quid magnum expecto: non abs re ſeſe concluſit intus.* S. *Faxit Deus ut natum recipiam.* G. *Hoſpita.* S. *Quid novæ rei eſt?* G. *Salva es; viſus ſum audire ſternutantem puerum.* S. *Revixit, ſi verum prædicas.* E. *Heus Gihezi.* G. *Me vocat: quid eſt, here?* E. *Accerſe huc mihi iſtam fœminam.* G. *Te vocat.* S. *Adeo.* E. *Recipe jam tuum filium incolumem.* S. *O divine vir, quas tibi gratias agam pro tanto munere?* E. *Deo hoc totum acceptum ferendum eſt, mulier; non mihi, qui per me poſſim nihil.*

Sent. Fides eſt omnipotens. Suorum preces, quamvis maxima petentium, exaudit Deus.

NAAMAN. 4. Reg. 5.

ARGUMENTUM.

Naaman Syrus ab Eliſæo à lepra ſanatus, ei gratias agit, & dona offert: ſed quæ Eliſæus non accipit. Deinde digreſſum Naamanem conſecutus Gihezis Eliſæi famulus, ab eo pecuniam & veſtes aufert per mendacium, eámque ob cauſam ab Eliſæo reprehenſus, fit leproſus.

Naaman, Eliſæus, Gihezis, Miniſtri Naamanis.

R*Evertor ad te, Eliſæe: & meum tum in Deum, tum in te peccatum confitens, veniam peto.* E. *Quidnam peccâſti?* N. *Cùm tu me per miniſtrum tuum juſſiſſes corpus in Jordane ſepties immergere, ſi à lepra (cujus depellendæ causâ veneram) ſanus eſſe vellem: primùm*

mum indignatus ſanè ſum, & me tibi deſpicatui eſſe ratus, quòd tantùm adminiſtrum ad me miſiſſes. Nam ſperaveram teipſum exiturum, & invocato Dei nomine, manum loco admoturum, & ità morbum ſanaturum. Deinde indignum mihi videbatur, tantum tribui veſtris aquis, ut cùm Abana, aut Pharphar, fluvii Damaſci, veſtris nihilo deteriores, eſſent ad me ſanandum inutiles, Jordanis tantam habere vim putaretur. Itaque abibam irà plenus. Quòd niſi mei famuli fuiſſent me ſapientiores, equidem medicinam repudiâſſem. Sed cùm illi dicerent abſurdum eſſe, me, qui rem quamlibet magnam ſalutis causâ facturus eſſem, à tam parva refugere: tentavi quid poſſent aquæ Iſraëlitarum, & me ſepties in Jordanem immerſi: quo facto ità ſum (ut vides) ſanatus, ut non ſit pueri corpus nitidius aut integrius. Quapropter intelligo jam, & confiteor, nullum in toto mundo eſſe Deum, niſi eum quem vos Iſraëlitæ colitis. Itaque pro tam ſingulari beneficio, quæſo te, ut à me munuſculum hoc accipias. E. *Apagé ſis: ego ut munus accipiam?* N. *At nè me repudiato: non equidem id facio, quò tibi tantum meritum remetiar, quod neque fieri poteſt: ſed ut hoc mei in Deum & in te grati animi pignus apud te relinquam.* E. *Iſtum gratum animum apud te habeto, dona nè addito.* N. *Atqui.* E. *Nè urge tantopere. Nam (ut tu ſemel ſcias) Deum immortalem juro, cui ego appareo atque adminiſtro, me nihil à te accepturum.* N. *Si ità decreviſti, nolo improbiùs inſtare. Cæterùm oro te, ut hinc mihi terræ duorum mulorum onus aſportare liceat. Nam ſtatui deinceps nullis diis præterquam uni Jehovæ adolere, aut ſacrificare.* E. *Laudo, aſportato ſanè.* N. *Præterea*

eſt

eſt aliud, ſuper quo te velim conſulere. Solet meus dominus, quandocunque in ædem Remmonis adorationis gratiâ commeat, meis humeris inniti; ubi, eo inclinante ſe, non poſſum quin me quoque inclinem. Eam mihi rem Jehova ignoſcet, opinor. E. *Itá. Abi cum bona pace.* G. *Hem! par ſit dominus meus accipere oblata ſibi ab iſto Syro munera? At mihi ità ſit Jehova propitius, niſi eum curſu conſequar, aliquid accepturus. Immunis ut abeat tam dives homo tanto affectus beneficio? Non convenit.* N *Religioni habeo, nihil ei dediſſe. Sed videóne ejus famulum huc curſu contendentem? Ipſe eſt, quantum ex inceſſu conjicio.* G. *E curru deſilit, & mihi procedit obviám.* N. *Salváne omnia, puer?* G. *Pax: te tribus verbis volo. Modò ad herum meum venerunt duo de vatum genere juvenes, è monte Ephraimitarum. Ea de cauſa rogabat herus, ut mihi ad eos argenti talentum des, & duas veſtes de ſplendidioribus.* N. *Imò verò duo talenta auferas: atque utinam plura voluiſſes! libenter dediſſem.* G. *Non eſt opus.* N. *Nè dubita accipere: erit aliquis eorum uſus. Vos colligate hoc argentum in duobus fiſcis: addite has duas veſtes. Vos duo præferte ei haſce ſarcinas. Jubeto herum tuum meo nomine ſalvere plurimúm.* G. *Faciam. Vale.* N. *Et tu.* G. *O me felicem, cui res tam bene ſuccedunt! Ite hàc juvenes; ſequimini me per hoc obſcurum oſtium; deponite hìc ſarcinas: jam mihi nihil opus eſt veſtrâ operâ. Quod reliquum eſt, ipſe facilè per me perficiam. Abite.* M. *Vale ergó.* G. *Valete vos quoque. Nunc res mihi bene geſta eſt; abſcondam hìc hunc theſaurum, ubi eum nemo præter me ſciat. Sed jam nè meus herus aliquid ſuſpicetur, ſi nimis diu abſim,*

offeram

offeram me ei. E. *Unde noſter Gibezis?* G. *Nuſquam equidem ivi.* E. *An etiam audes velle mihi verba dare? Quaſi ego non unà animo adfuerim, cùm homo de curru revertit tibi obviám. Hoccine tempus eſt accipiendorum ullorum munerum? Improbè à te factum. Itaque pro iſto tuo peccato, lepra, quâ liberatus eſt Naaman, in te & in tua progenie in poſterum hærebit.*

Sent Bona ſpiritualia plerunq; aſpernatur mundus, quia ſplendore carent, & apparatu mundano. Nè famulorũ quidem conſilium contemnendum eſt. Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus. Dona ſpiritualia non emuntur pretio carnali. Avaritia mendaces facit, & homines in miſeriam præcipitat. Dei Spiritum latere fruſtra coneris.

HAZAEL. 4. *Regum* 8.

ARGUMENTUM.

Hazaeli percontanti prædicit Eliſæus mortem Benadadi regis Syriæ, & inſuper ipſius Hazaelis regnum & ſævitiam in Iſraelitas.

Hazael, Eliſæus.

B*Enadadus Syriæ rex, qui nunc æger eſt, miſit me ad te, Eliſæe, ad percontandum de ſalute ſua.* E. *Renuntiato ei, eo morbo levatum iri & tamen Jehova mihi interiturum ſignificavit. Heu!* H. *Quid ſibi volunt iſta ſuſpiria, quæ fixo vultu ità altè trahis?* E. *O Hazaël, Hazaël, video quantam tu vaſtitatem ſis Iſraëlitis illaturus. Tu eorum ædificia incendes, tu juvenes ferro trucidabis, tu pueros elides, tu gravidas mulieres diſcerpes.* H *Egóne viliſſimus homuncio, tanta facinora potero?* E. *Oſtendit mihi Jehova, te fore regem Syrorum.*

Sent. Piis dolet populi Dei calamitas, quamvìs meritò & divinitus illata.

JEHUS. 4. *Reg* 9.

ARGUMENTUM.

Jehus, ab Eliſæi puero unctus rex Iſraelitarum, Joramum Iſraelitarum, & Ochoziam Judæorum regem, & Jezabelem Jorami matrem occidit. *Puer*

Puer Eliſæi, Jehus, Duces, Speculator, Joramus Iſraelitarum rex, Nuntius, Alter nuntius, Jezabel.

H*Abeo quoddam ad te mandatum, dux.* Je. *Quem noſtrûm appellas?* P. *Teipſum, dux: ſecedamus intró. Jehova te, Jehu, Deus Iſraëlitarum, hoc oleo per me ungit regem ſuorum Iſraëlitarum, jubétque ut Achabi domini tui ſtirpem trucides. Statuit enim ſuorum omnium tum vatum, tum reliquorum ſanguinem à Jezabele expetere, univerſámque Achabi domum perdere, & ejus memoriam genúſque ſtirpitus ex Iſraëlitis tollere; eámque eò redigere, quò redacta domus eſt Jeroboami Nabati filii, & Baaſæ Abiæ filii: Jezabelem autem comedent canes in agro Jeſraëlenſi inſepultam. Sed ego hinc fugâ me proripio.* D. *Quomodo ſe res habet, Jehu? Quorſum venit ad te lymphatus iſte?* Je. *Hominem nôſtis, ejúſque orationem.* D. *Minimè veró. Doce nos quidnam dixerit.* Je. *Unxit me regem Iſraëlitarum de Jehovæ mandato, cui certum eſt Achabum Achabíque domum per me ulciſci.* D. *Supponamus properè regi veſtes noſtras, ſocii, eúmque collocemus in editiſſimo graduum. Tu præco proclama tubâ, regem eſſe Jehum.* Je. *Nunc duces, ſi vobis ità videtur, cavete nè quis ex oppido evadat, qui hujus rei nuntium Jeſraëlem perferat. Nos conſcendamus equos, & eò feſtinemus ire. Nam illic decumbit Joramus, ſanandorum vulnerum gratiâ, quæ in prælio contra regem Hazaëlem à Syris accepit: eodémque venit Ochozias Judææ rex ad eum viſendum.* S. *Video quendam hominum globum.* Jo. *Tu conſcende equum, & ei curſu profectus obviàm, quære ut valeat.* N. *Fiet.* Je. *Accurrit huc eques quidam.* N. *Rogat rex*

ut

ut valeas, Jehu. Je. *Quid, ut valeam? recede pone me.* S. *Pervenit nuntius ad eos, neque revertitur.* Jo. *Heus tu, conſcende equum, & eôdem curre.* N. *Fiet.* Je. *Accurrit huc alter.* N. *Rogat rex, Jehu, an valeas. Quid, an valeam? Recede pone me.* S. *Pervenit ad eos nuntius, ſed non revertitur. Inceſſûs autem ferocitas declarat eſſe Jehum Namſis filium.* Jo. *Junge currum equis, auriga: exeamus homini obviàm, Ochozia.* Je. *Tandem veniunt ipſi reges opportunè.* Jo. *Valéſne, Jehu?* Je. *Quid, valéſne? Durantibus tot matris tuæ Jezabelis ſtupris, & maleficiis?* Jo. *Fugiamus, Ochozia: circumvenimur.* Je. *Siquidem poteſtis effugere. Experiar tamen, an meus arcus poſſit de regis corpore ſanguinem elicere. Hem tibi, hîc moriturus eras. Tu Badacer triumvir, abjice eum in fundum Nabothi Jezraëlenſis. Nam memini, cùm aliquando ego & tu Achabum hujus patrem in eodem curru ſequeremur, ei oraculo dictum eſſe, Jehovam ſanguinem Nabothi, ejúſque natorum pridie ejus diei reſpexiſſe: eúmque in agro ejuſdem Nabothi, quem ille judicio per calumniam oppreſſiſſet, in illum vindicaturum eſſe. Quare ſume hoc cadaver, ídque in fundum abjice, ſicuti ferunt Jehovæ dicta. Sed fugit Ochozias: perſequimini eum, occidite, pereat hoc ad flagitia concors hominum genus. Pergamus in oppidum: nondum peracta ultio eſt: Supereſt totius mali fons Jezabel, quam jam videre videor de feneſtra proſpicientem. At etiam fucata eſt: nimirum ut morti placeat.* Jez. *Nunquid bene accidit Zambri qui dominum ſuum interfecit?* Je. *Ecquis iſthîc à me eſt? Rectè: vos ejus eunuchi præcipitate eam. Peri fœminarum impuriſſima, & à meis equis conculcare.*

Sent.

Sent. Etiam ſubditos armat & excitat Deus in principes impios. Æquum eſt enim, ut qui adverſus Deum Dominum ſuum conſurgit, (id quod faciunt omnes impii) adverſus eum conſurgant ipſius ſervi.

JOAS. 4. Regum 13.

ARGUMENTUM.

Joæ Iſraelitarum regi ſe ægrotum viſenti prædicit Eliſæus victorias, quas ſit de Syris reportaturus.

Joas rex Iſraelitarum, Eliſæus.

HEu pater patriæ! heu columen Iſraëlitarum! tu quidem nunc æger jaces. E. *Non eſt ejulandi tempus. Cape arcum & ſagittas.* J. *En! cepi. Quorſum?* E. *Impone manum arcui.* J. *Feci.* E. *Aperi feneſtram obverſam orienti.* J. *Aperui.* E. *Jaculare.* J. *Hem! ſic volo.* E. *Collimâſti. Iſta eſt ſalutaris nobis, mortifera Syris ſagitta, quos tu in Apheco, Dei præſidio, occiſione occides. Sed perge porrò, cape ſagittas.* J. *Cepi. Quid tum?* E. *Feri terram. O factum malè! Si quinquies percuſſiſſes, aut ſexies, tum poteras Syros delere funditus. Nunc eos ter tantùm ſuperabis, quoties videlicet terram pulſaviſti.*

Sent. In vate plus eſt præſidii, quàm in exercitu. Vatis mors eſt & regi deploranda. Fata abſtruſa ſunt.

JONAS. Jonæ 1.

ARGUMENTUM.

Vexati tempeſtate nautæ, invocatis fruſtrà diis, factâque jacturâ, Jonam vatem excitant qui in navi dormiebat. Deinde ſorte jactâ, ut eum ſontem & tempeſtatis cauſam eſſe deprehenderunt, jaciunt in mare ipſiuſmet admonitu: ità pacatur tempeſtas.

Nauclerus, Nautæ, Jonas.

PRô Jupiter, quanta ſævit tempeſtas! quanti undarum fluctus noſtram navem undique verberant! Dicas Neptunum, & Æolum, omnéſque adeò deos in noſtram conjuraviſſe perniciem. Ne ſævi tantoperè aquarum præpotens Neptune; nè eos perde, qui ſe tuæ fidei

mandâ-

mandârunt. Túque, ô Æole, cui poteſtatem in ventos dedit Jupiter, cohibe tam effrænatum eorum impetum. Naut. *Dii immortales! quid habetis in animo? Huccine veniſſe nos, ut tam miſerè periremus? Parcite, quæſumus, parcite: nos vobis ſacra faciemus; tibi, Neptune, taurum; vobis agnam, tempeſtates, mactabimus: tantùm liceat hinc ſalvis evadere.* Al. *Ledæ proles Caſtor & Pollux, amica nautis ſydera, obſecro veſtram fidem, reddite nobis mare tranquillum, reddite amicam cœli ſerenitatem.* Nauc. *Nihil agimus, video; tam ſurdi ſunt dii quàm eſt ipſum mare.* Naut. *Quid ſupereſt?* Nauc. *Ut jacturam faciamus.* Naut. *Durum.* Nauc. *Sed neceſſarium: extremo autem malo extremum adhibendum eſt remedium: atque utinam vel ſic evadere liceat! Feſtinate, ejiciamus has merces. Præſtat rem perdere, ſpem aliquam retinentes, quàm cum re certum exitium expectare. Vos ô cœli mariſque potentes dii, eſte ſaltem contenti hâc noſtrâ miſeriâ: quid mortem inſuper minamini? Hei mihi! magis magiſque furiunt venti, ingraveſcit tempeſtas. Irritantur ſuperi, non placantur noſtris votis & precibus. Quò jam? Quò me vertam? Erat hîc neſcio quis peregrinus: ubi nunc eſt?* Naut. *Dormit ad infimum navis latus.* Nauc. *O ſupinam ſecuritatem! Heus, heus peregrine! quem tandem dormiendi modum facies? Potes in tanto periculo indulgere ſomno? Quin tu ſurgis, & tuum in hoc temporis articulo Deum invocas? ſi quis fortè ſuperûm exiſtat, qui hoc à nobis malum avertat, & præſens auxilium ferat.* Naut. *Fruſtrà laboramus: cauſa tanti mali perſcrutanda eſt. Oportet aliquem hîc adeſſe, qui ſe nefario aliquo*

ſcelere

ſcelere obſtrinxerit, propter quem tantopere iraſcantur dii. Sortiendum eſt quis ſit in cauſa. N. *Placet; ducantur ſortes. Euge, ſors hunc peregrinum deſignat. Vides te, peregrine, accuſari. Dic quæſo, unde tantum in nos malum ortum ſit, quod vitæ genus ſequaris, unde & quò eas, cuias ſis, & quâ gente natus.* J. *Jam jam nullum ſupereſt effugium: teneor manifeſtò. O inevitabilem Dei potentiam! Ego ſum Hebræus, Jehovæ cœleſtis Dei cultor, qui & mare & terram fabricatus eſt. Is me Ninivem ire juſſerat, ut eum populum, otio & luxu diffluentem & perditum, meâ admonitione ad meliorem frugem & ſaniorem vitæ rationem deducerem. Cujus ego muneris triſtitiam defugiens, ſtatueram Tarſum in Ciliciam me conferre, & ejus conſpectum evitare cujus oculis omnia ſunt ſubjecta.* N. *Periimus funditus. Inſcitè prorſus, homo, & malè abs te factum. Sed poſtquam factum quod eſt, infectum fieri non poteſt; quid tibi nunc cenſes faciamus, ut placatiore mari utamur, quod vehementiùs ſemper agitari vides?* J. *Vos verò me in mare deturbetis, ſi id ſedatum vultis: nam certò ſcio ego, meâ unius causâ vos hâc tam vehementi tempeſtate afflictari.* N. *Avertant ſuperi, ut tuâ morte ſaluti noſtræ conſulamus. Non faciemus. Agite viri fortes, incumbamus remis, conemur ad terram appellere. Eia, adhibete ſummas vires: eia, rumpamus hos fluctus. O rem miſeram! creſcit aſſiduè malum, nullâ ratione terram poſſumus attingere.* J. *Fruſtrà ſudatis, invito Deo.* N. *Quid ergò eſt? téne nos in mare?* J. *Niſi mavultis mecum unà perire.* N. *O deſperatiſſimum perfugium! ſed tamen ſatius eſt, te ſolum quàm nobiſcum interire. Faciendum*

eſt, ſocii: nulla alia ad evadendum via eſt, video. Effe-ratur mare, rumpitur navis, mors nobis verſatur ob oculos. Demergamus eum. Obſecramus te, Jehova, nè pereamus ob hujus viri mortem, néve à nobis pœnas ſanguinis ejus expetas. Vides nos neceſſitate impulſos facere, & tu omnia tuo arbitratu moderaris: jaciatur. O rem admirabilem! Videtis ut ſubitò ſedata ſit tempe-ſtas, eo dejecto? Videtis mare ſic tranquillum, ut nun-quam tranquillius? Agnoſco, agnoſco ego Jehovæ pote-ſtatem immenſam: is nimirum Deus eſt, cæteri nequic-quam precibus interpellantur. Uni uni debetur gratia: uni itaque ſacra votáque faciamus.

Sent. Fruſtra implorantur falſa numina, ſæviente vero numine. Deum effugere nec terrâ nec mari poſſis. Cum ſon-tibus navigare, hoc eſt verſari, noxium eſt. Manente causâ pœnæ, manet pœna.

RABSACES. 4. *Regum* 18.

ARG. Rabſaces, ab Aſſyriæ rege Senacheribo miſſus, Hie-roſolymitanos qui erant in muris, ipſe extra muros jubet deditionem facere, & in Jehovam ejúſque populum petu-lantiſſimè invehitur, nemine quicquam reſpondente.

Rabſaces, Eliacimus.

V*Os hæc nomine regis magni, id eſt, regis Aſſyrio-rum, Ezechiæ nuntiate. Quâ tandem fiduciâ nita-tur? Verbíſne, an conſilio, an viribus dimicare cogitet? Quâ tandem ſpe fretus ab eo defecerit? An videlicet confidit confracto iſti culmeo baculo, id eſt, Ægyptiis: cui ſi quis innitatur, ei manum perforet? Talis eſt Æ-gyptiorum rex Pharao in omnes qui ei confidunt. Quòd ſi mihi dicetis, Vos Jehovæ Deo veſtro confidere: annon is eſt, cujus Ezechias ſacella aráſque ſuſtulit, juſſitque Judæis & Hieroſolymitanis, ut Hieroſolymæ ad cer-tam quandam aram Deo ſupplicarent? Agè Eze-*

chia, vis cum domino meo rege Aſſyrio ſponſionem facere, ſi tibi dedero duo equorum millia, ni tu non poſſis ad eos totidem equites ſuppeditare? Túne auſis vultum ſubire vel unius prætoris, minimi ſervorum domini mei? Et fiduciam tibi collocas in Ægyptiorum curribus & equitibus? An porrò ſine Jehova ad hunc locum vaſtandum aſcendi? Jehova ipſe me juſſit in hanc regionem proficiſci, eámque depopulari. E. *Quæſumus te, ut nos Syriacè (ſcimus enim) alloquaris, non Judaicé, in auribus hominum qui ſunt in mœnibus.* R. *Quaſi ad dominum tuum, aut ad te miſerit me dominus meus, ad hæc dicenda; ac non ad eos qui ſunt in muris, ut vobiſcum & merdam ſuam comedant & urinam bibant. Audite Judæi, regis magni, regis Aſſyriorum dicta. Nè vobis imponat Ezechias, neq; enim poterit vos ab ejus manibus defendere: néve ab eo perſuaderi vobis ſinite, ut Jehovæ fidatis, quaſi vos defenſuro, neque urbem iſtam in manum Aſſyriorum regis permiſſuro. Nolite Ezechiæ credere, ſed potiùs Aſſyriæ regi obtemperate, qui vobis mandat ut ſecum benevolè agatis, & vos ei dedatis, & ſuis quiſque vineis & ficubus & puteis tantiſper utamini, donec veniat ad vos in veſtræ ſimilem terram transferendos, in terram frumenti, & vini, & panis, & vinearum, & olivarum, & olei, & mellis feracem, ut hâc ratione veſtræ ſaluti proſpiciatur: néve Ezechiæ fidem habeatis; fallit enim vos inani fiduciâ defenſionis Jehovæ. An reliquarum gentium dii ſuam quiſq; terram ab Aſſyriæ rege defenderunt? Ubi ſunt dii Hemathæ & Arphadi? Ubi Sepharvaimi? Ubi Henæ? Ubi Avæ? Nunquid Samariam ab ejus manu tutati ſunt? Quis tandem eſt ex omnibus omnium terrarum*

diis,

diis, qui ſuam terram ab ejus manu defenderit, ut Jehova Hieroſolymam defenſurus eſſe videatur? E. *Obmuteſcamus, néve ei quicquam reſpondeamus. Ità enim fert regis mandatum. Sed eamus hæc regi nuntiatum.*

Sent. Res ſecundæ inſolentes ſæpe reddunt homines, & in ipſum etiam Deum petulantes. Proſperos ſucceſſus ſibi adſcribunt ſuperbi, cùm debeant Deo. Cum maledicis & verboſis rixandum non eſt, ſed Deo committenda cauſa.

EZECHIAS. *Eſaiæ* 38.

ARGUMENTUM.

Ægrotus rex Judæorum Ezechias, cùm eſſet ei ab Eſaia vate denuntiata mors, precibus à Jehova impetrat vitæ prorogationem.

Eſaias, Ezechias.

IMpera domo, Ezechia: nam iſto tibi morbo moriendum eſt. Hæc eſt Dei voluntas. Ez. *O durum nuntium! O ſancte Deus, memineris quàm fideliter & integro animo te ſemper coluerim, & ad tuam voluntatem vitam omnem direxerim. Hic pietatis honos? Sic religionem remuneraris? Méne nunc in medio ætatis curſu in eas anguſtias eſſe redactum, ut ſubeundum ſit ſepulchri oſtium, & reliquo vitæ tempore carendum? Eheu! jam non ego fruar communi hoc cœlo? cœlo ego non fruar, cujus amœna luce illuſtrantur qui in terra degunt vitam? Jam ego avellor à charo conſpectu & conſuetudine hominum, qui hunc orbem incolunt. Ex hac vita diſcedo & emigro tanquam è paſtorali tuguriolo, fatali ævi ſtamine & filo ante diem amputato. Paulatim atteror, & conſumor in horas: neq; quicquam propiùs expecto, quàm ut jam jámque abſumptus, animam agam. Ad mane ſi ventum eſt, membra omnia diro cruciatu*

dilaniari ſentiens, mortem in veſperum expecto. Hirundinis aut gruis ritu ſtridulas voces emitto, & columbarum more querulos edo gemitus; cœlúmque ſuſpiciens, conſumptis lacrymis, ipsâ oculorum tabe intolerabiles animi teſtor dolores. O rerum Domine omnium, aio mihi fieri injuriam, cujus te vindicem eſſe par eſt. Miſerum me! quid jam, quid mihi venire in mentem poſſit, quo poſſim tuum animum ad id quod volo flectere? Meænè vitæ brevitatem miſerabiliter commemorem? O rerum autor & moderator, longius eſt profectò naturale vivendi ſpatium quàm quantulum à te mihi conceditur. Haccine mihi ætate tam immaturâ ſpiritus reddendus eſt? An tu mihi videlicet ſempiterno ſomno conſopire paras, ut poſtea in vitam revoces? Aut cujus altiſſimam tranquillitatem acerbiſſimo caſu contaminari paſſus ſis, eum ſcilicet, jam letho abſumptum, è putido buſto vindicabis? Et cujus vitam ægrotantis tueri neglexeris, eundem morte deletum, amico lucis uſu rurſum donabis; peccatis (quorum de fonte mors ſcatet) quaſi poſt tergum rejectis, & æternâ oblivione obliteratis? Deinde à quibus gratitudinem, & ex ea manantem laudationem expectas? à mortuis? ánne ſepulti te celebrabunt, & tuum paratum miſeris præſidium prædicabunt humati? Vivi, vivi tibi gratias agent, velut ego hodie: & parentes liberis commemorabunt tuam gentibus omnibus expoſitam tutelam. Intende meæ ſaluti, Jehova: & nos de tuis laudibus carmina, quamdiu vivemus, in æde tua modulabimur. Ef. *Ades animo, rex: jubeor tibi læta nuntiare. Jehova, Deus Davidis autoris generis tui, tuam precationem audivit, tuáſque lacrymas reſpexit. Itaque ſic habeto, te per eum ſanari,*

&

& tertio abhinc die aſcenſurum in fanum. Quinimo addet tuæ vitæ quindecim annos, téque eripiet è manibus regis Aſſyriorum unà cum hac urbe, cujus ſe defenſorē præbebit, propter ſemetipſum, tum etiam propter Davidem ſui cultorem. Sed vos famuli ſumite palatham, quam ulceri ejus imponetis, ut convaleſcat. Ez. *Sed quo ſigno intelligam me in ſanitatem reſtitui, & tertio die venturum in ædem?* Eſ. *Vides hoc Achazi ſolarium?* Ez. *Video.* Eſ. *Optio tibi datur utrùm velis umbram decem gradibus procedere, an reverti.* Ez. *Facile eſt umbram progredi: potiùs retrocedat. O rem miraculoſam! nunc, nunc video, volente Deo, nihil eſſe arduum.*

Sent. Piis precibus uſquè adeò flectitur Deus, ut interdum etiam decretum ſuum reſcindat. Quamvis morbos interdum naturalibus remediis incurabiles ſanet Deus, tamen naturalia remedia non ſemper repudiat. Non medicinæ, ſed Deo tribuenda eſt ſanatio: & tamen utendum eſt medicinâ.

JEREMIAS. Jer. 26.

ARGUMENTUM.

Jeremias urbis & templi ruinam vaticinatur, eam ob cauſam comprehenditur à ſacerdotibus & vatibus ad necandū. Sed facto ad tumultum concurſu, proceres & ſenatores & Ahichamus id prohibent.

Jeremias Sacerdotes, Vates, Proceres,
Senatores, Ahichamus.

AUdite omnes omnium Judææ urbium homines, quotquot hoc templum, in cujus ego ſto veſtibulo, intratis adorandi numinis gratiâ: audite, quæ Deus meâ voce vobis effatur. Niſi eum audietis, & ex lege quam vobis præſcripſit vivetis: tum autem dicta vatum, ejus cultorum, quos ipſe ad vos mittit, per quos vos maturè admonere nunquam intermittit; ea, inquam, niſi audietis, hanc ipſam ædem ſacram in eum ſtatum rediget, in

quem Silonem redegit, *& hanc urbem omnium orbis terrarum gentium ludibrio exponet.* Sa. *Quid ſibi vult clamoſus iſte?* V. *Omnibus minatur exitium.* Sa. *At ſibi non minatur, ſed conflat maximum malum. Quin invadimus hominem?* V. *Atque ità opus eſt.* Sa. *Comprehendite eum, viri; cavete nè effugiat: faxo jam ſcias, Jeremia, quæ mala nobis obnuntias, ea te in temetipſum excitaviſſe. Itáne verò ut huic templo Silonis ruinam, & urbi vaſtam everſionem & ſolitudinem denuntiaveris, & hæc tam dira impunè protuleris? Morte pœnas lues.* V. *Meruit certé.* P. *Unde tantus iſte tumultus, ſacerdotes? Aut quid vult tantus hominum concurſus? Quid novæ rei accidit?* Sa. *Hic homo dignus eſt, qui capite det ſupplicium, qui quidem tam horrendas clades huic urbi ſit vaticinatus, quemadmodum vos ipſi audiviſtis.* J. *Audite me, ſi placet, & vos omnes populares audite me. Jehovæ ego optimi maximi inſtinctu huc veni, ea in fanum & urbem prædicturus, quæ vos audiviſtis. Quare corrigite veſtram vitam & mores, Deique veſtri admonitioni obtemperate, ut mutet conſilium, malúmque, quod in vos cogitat, avertat. Quod ad me pertinet, equidem video me in veſtra manu eſſe: vos mihi, quod videbitur, faciatis licet. Veruntamen ſic habetote, ſi me interfeceritis, vos, urbémque, & hanc rempublicam, innocentis ſanguinem ſupplicio luituros. Certè enim Jehova miſit me ad vos, ut, vobis audientibus, ea omnia dicerem.* P. *Nos quidem non videmus juſtam cauſam, cur hic capite plectatur: ſiquidem nos nomine Jehovæ Dei noſtri affatus eſt.* Se. *Audite nos viciſſim, niſi moleſtum eſt. Michæas Moraſtita, vates fuit tempore E-*

zechiæ regis Judæorum, qui Jehovæ optimi maximi nomine, omni Judæo populo audiente, auſus eſt dicere, Sionem in agrum redactam, aratum iri, Hieroſolymámque in rudera collapſuram, & montem ſacrum in ſolitudinem redigendum. Nunquid in eum morte animadvertit Ezechias, aut ullus Judæorum? Annon Deum reverentiâ & precatione ſibi placaverunt, malúmque, quod ab illo jam jámque imminebat, depulerunt? Et nos tam immani ſcelere animos noſtros obligabimus? Quid Urias, nihilne nos movebit? Is fuit filius Semeiæ, ex Cariathiarimo, qui eadem in urbem hanc ab Jehova eſt vaticinatus, quæ modò Jeremias. Quod cùm Joacimus rex audiviſſet, necnon ejus milites & proceres, eum quæſivit ad necem. Id ubi reſcivit ipſe, territus aufugit in Ægyptum. Sed eò miſit rex Elnathanem, & quoſdam alios, qui illinc extractum ad eum adduxerunt: eúmque ferro crudeliter necavit, & ejus corpus in plebeiorum ſepulchretum projiciendum curavit. Itaque quis fuerit exitus videtis. Nunc diſpicite, utrùm nefarium hujus facinus, an conſideratam illius prudentiam malitis imitari. Ah! profectò nunquam ſinam vos manus Jeremiæ ſanguine commaculare.

Sent. Veritas odium periculúmque parit. Malo vate aut doctore nihil iniquius. Plerunque plus ſapiunt, & plus æquitatis habent inerudit[i], quàm doctores. Pœnam ſi vis effugere, fuge culpam. Mitiora imitanda ſunt exempla, immitiora declinanda.

ANANIAS. *Jer.* 28.
ARGUMENTUM.

Ananias Judæis liberationem ad biennium falsò vaticinatur. Jeremias contrà graviorem inſuper captivitatem prædicit, & ipſi Ananiæ mortem à Jehova denuntiat.

Ananias, Jeremias.

AUdi tu, Jeremia, unà cum univerſo hoc populo, quæ juſſu Dei vobis denuntio. Ego (inquit Jehova optimus maximus, Iſraëlitarum Deus) jam rumpam jugum regis Babyloniorum, & poſt duos annos referam in hunc locum omnia vaſa templi, quæ Nabuchodonoſor hinc ablata Babylonẽ deportavit. Jechoniámque filium Joacimi Judææ regis, omnéſque captivos Judæos, qui ſunt abducti Babylonem, huc reducam fracto Babyloniæ imperio. J. *Utinam ità faciat Jehova, & tua dicta omnia ad rem conferat, atque huc vaſa ſacra reportet, captivóſque omnes è Babylone revocet! Verùm audi, & quæ apud te & omnem populum eloquar, trade memoriæ: Claruerunt ante me & te jam olim vates, qui multis nationibus, magniſque regnis bellum, aut famem, aut peſtem, præſignificaverunt. Quòd ſi quis aliquando ſecunda pronuntiabat, ejus prædictum aut rei eventus à divino afflatu profectum comprobabat, aut fruſtratio refellebat. Hoc quia in hac vaticinatione futurum certò ſcio, malo te rei exitu confutari, quàm meâ oratione irritari.* A. *Cedo mihi iſtam torquem: audite verò omnes, qui hîc eſtis, quid ferant mea dicta. Quemadmodum hoc ego collare perrumpo, ità Jehovam ſcitote perfracturum dominationem Nabuchodonoſoris poſt biennium.* J. *Nolo tecum ampliùs rixari.* A. *Abeas licet; ego hoc teneo, & tenebo: nè trepidate Judæi, adventat jam certiſſimum vobis præſidium & ſalus. Bono animo eſte.* J. *Adſum tibi à Deo, Anania, qui tibi me ità renuntiare jubet. Vincula lignea, inquit, rupiſti, Anania; ſed pro eis ferrea feceris. Nam ego ferreum jugum collo imponam omnium iſtarum gentium, quò ſerviant Nabuchodonoſori Babyloniorum regi,*

ſub cujus ego ditionem etiam agreſtes beſtias ſubjunxi. Hæc ſunt de quibus te, Anania, Deus meo miniſterio præmonitum voluit. Sed non eſt, crede mihi Anania, non eſt quòd incitationem & permotionem divinam oſtentes, & hunc populum ſpe inani erigas. Neque enim à Deo miſſus ades, cujus ego inflatu perniciem tibi proximam denuntio, téque hoc anno vitâ defuncturum confirmo: quoniam tuis verbis deficiendi ab eo cauſa es.

Sent. Mali doctores ſolent improbis fauſta dicere, & quæ placeant. Boni contrà. Hinc fit, ut boni inviſi ſint, mali amẽtur, & autoritate polleant. Veris vatibus raro creditur ante eventum, præſertim ſi adſunt falſi vates, qui veris contraria doceant. Mali vates, dum pœnas improborum verbis leniunt, reipſa exaſperant. Cum pervicacibus rixandum non eſt. Qui improbis blandiuntur, eos à Deo avocant.

SEDECIAS. Jer. 38.

ARGUMENTUM.

Jeremias conſulentem ſe Sedeciam Judææ regem monet, ut ſe dedat Chaldæis; alioquin venturum & ipſum, & urbem in miſeram calamitatem.

Sedecias, Jeremias.

VOlo ego te conſulere ſuper rebus meis, Jeremia: ſed noli me quicquam celare. J. *Rem omnem tibi aperiam: ſed eâ conditione, nè me interimas, néve conſilium meum repudies.* S. *Per Deum immortalem, qui noſtras animas creavit, non perimam te: neque tradam illis hominibus qui tuam necem cupiunt.* J. *Satìs habeo: accipe jam quod ſit Dei conſilium. Si te contuleris ad principes Babylonios; & tuæ tuorúmque vitæ conſules, & incendium ab urbe depelles. Sin minús, & urbs Chaldæis dedita igni cremabitur, neque tu eorum manus devitabis.* S. *At enim valde metuo, nè me Chaldæi Judæis, qui ad ipſos*

ipſos transfugerunt, tradant omni irriſione ludendum.
J. *Non tradent, crede mihi: obtempera Dei monitis, cujus ego voluntatis interpres tibi ſum datus, ſi teipſum amas tuæque ſaluti provides. Quòd ſi te dedere renuis, hoc tibi divinitus denuntio; Omnes mulieres quæ ſuperſunt in regia, eductæ ad principes Chaldæos, te in os indigniſſimè irridebunt, ut circumventum & proditum à tuis neceſſariis, & in ipſo cœno perfidè deſtitutum. Tuæ autem uxores omnes, & liberi tradentur Chaldæis, neque tu eorum manum effugies, quin in manus regis eorum venies, qui hanc quoque urbem incendet.* S. *Vide nè quis hæc reſciſcat, nè tu pereas. Quòd ſi proceres audierint noſtram congreſſionem, téque convenerint, rogantes qua de re inter nos actum ſit, & mortem minantes niſi indicaveris, dices, te à me precibus petiviſſe, nè committam ut domum Jonathanis reducaris ad miſerabilem mortem.*

Sent. Veritas cum periculo dicitur. Imprudentes, dum levius aliquod malum inevitabile vitant, incurrunt in gravius quod fuerat evitabile. Qui tolerabiles pœnas Deo dare recuſat, eum incitat ad graviores.

DIALOGORUM SACRORUM LIBER TERTIUS.

TOBIAS. Tob. 4 & 5.

ARGUMENTUM.

Tobæus Tobiam filium ſuum pietatem docet. Deinde jubet, ut ducem quærat ad petendam ex Media pecuniam ibi à ſe depoſitam. Tobias genium, qui ſe hominem ſimulabat, nactus, cum eo proficiſcitur.

Tobæus pater, Tobias filius, Raphael genius, Anna mater.

CUm ex hac vita diſceſſero, nate, ſepelito me honorificè. Tum autem matrem tuam honorato, néve eam

donec

donec vivet deſerito, néve ei parùm morigerando vitam reddas acerbam. Recordare, fili, quot dolores perpeſſa ſit propter te, cùm eſſes in ejus utero. Cùm igitur vitam finiverit, eam mecum honeſtè ſepelito in eodem ſepulchro. Ac per omnem vitam memento Creatoris tui, néve eum offende, ejúſve præcepta omitte. Quantumcunque tibi Jehova largitus erit, de eo nè parcito liberalitatem exercere. Ad homines inhumanos nè te aggregaveris. A reſpiciendis egentibus Iſraëlitis nè abhorrueris, nè Jehova viciſſim tuis temporibus adverſis à te reſpiciendo abhorreat. Quòd ſi tuæ facultates non ferent ut largè id facias; at pro eo quantum id erit quod ſuppeditabit, nè parce in benignitatem conferre: ut divitias tibi, & argenti aurique theſauros in beneficentia repoſitos habeas. Nam theſauri nihil impios juvant. At hæc virtus à morte vindicat: ac quiſquis beneficentiam exercet, Dei conſpectum videbit; quemadmodum habet ſcriptum illud, Ego per beneficentiam conſpectum tuum videbo, quam qui exercent, cœleſtes habendi ſunt. Tu ergò nate, corpus tuum ab omnis libidinis obſcœnitate tuere, uxorémque de tua cognatione ducito, nequaquam alienigenam, aut alius ſanguinis, quàm tuorum majorum. Nos enim vatum progenies ſumus. Memoriâ repete Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, qui uxores de ſua ſibi gente aſciverunt, extraneorum affinitate repudiatâ, eóque liberis fortunati fuerunt. Animum intende fili, ad ea quæ ages. Quod tibi nolis fieri, aliis nè facito. Operarii mercedem nè retineto noctem unam poſt eum diem in quem cum eo pactus eris: ut tuo te præmio remuneretur Deus. Corpus tuum ab ebrietate abſtineto. In nulla nequitia te oblectaveris. De tuo victu largire eſurientibus,

rientibus. De tuo veſtitu indue nudos. Quod tibi ſupererit, id omne in beneficentiam confer, neque id gravatè: hoc eſt, verè pane & vino ſepulcbra juſtorum perfundere. Audi & attende quemlibet, qui modò verum tibi conſilium det. Ab Jehova omnibus temporibus pete, ut tuas rationes, conſiliáque dirigat: neque enim homini in manu poſitum eſt conſilium, ſed uni Deo Opt. Max. qui quicquid vult, efficit, alios deprimens, alios efferens. Hæc mea dicta & præcepta omnia conſervato, & nunquam non ante oculos habeto, fortique & infracto animo eſto. Nam Jehova tibi auxilio præſidióque erit, ſi ei toto animo, totóque pectore ſtudueris. Nunc fili, illud tibi indicabo de pecunia, quam habeo apud Gabelem, mihi cognatione propinquum, (ea eſt decem argenti talenta) Rage in Media: nam incertum eſt quando ſim moriturus. Tu fili, ſi Jehovam metues, téque ab omni ſcelere conſervabis, magnas ab eo opes conſequeris. Tobi. *Omnia ut præcepiſti mihi, pater, ſic faciam: ſed velim mihi conſilium des, quâ ratione queam iſtam à Gabele pecuniam recuperare. Nam neq; ille me, neque illum ego agnoſcam, neque quo ſigno repetam pecuniam ſcio, neq; quâ viâ eatur in Mediam teneo.* Tob. *Quod ad ſignum pertinet, hoc dices; Me, cùm ille mihi marſupium ſuum tradidiſſet, dixiſſe, Accipe de manu mea; atq; ex quo ei argentum in manum tradidi, annum hunc eſſe vigeſimum. De via autem, quære tibi jam hominem aliquem fidelẽ, qui tecum vadat, cui præmium dabimus. Proficiſcere fili, adhuc vivente me, & argentum pete. Jehova te Deus Iſraëlitarum in itinere conſervet: tibiq; benevolentiam, ſtudium, miſericordiam, & illius & omnium qui te videbunt, conciliet, téq; nobis ſoſpitem & incolumem & ducat*

cat

cat & reducat ante meum interitum. Tobi. *Eo igitur ad conquirendum ducem; & fortaſſe præſtò adeſt qui faciat. Nam video juvenem quendam in via ſtantem accinctum, & ad iter (ut videtur) paratum.* Rap. *Adoleſcens, cujas es?* Tobi. *Domine, poſſésne mecum in Mediam proficiſci?* Rap. *Equidem novi vias omnes, ſúmque aliquando uſus hoſpitio Gabelis gentilis noſtri, agentis Rage, in finibus Mediæ, quæ Rages diſtat ab Ecbatanis itinere duorum dierum, éſtque montana: Ecbatana autem in campeſtri loco poſita ſunt.* Tobi. *Præſtolare paulìſper, ſi placet, dum hanc rem patri renuntiatum eo. Nam magnopere cupio te comitem habere, tibíque dabo mercedem pro itinere.* Rap. *I properé. Ego hîc manebo donec redeas: noli diutiùs morari.* Tobi. *Nactus ſum virum bonum, pater, noſtri generis, qui mecum proficiſcatur.* Tobæ. *Evoca eum ad me, ut ſciſciter unde terrarum ſit, & an ſatìs fidus ſit tibi futurus comes.* Tobi. *Faciam. Heus, accerſeris à patre meo.* Rap. *Eo. Salve vir divine.* Tobæ. *Si ſalveo, cur mihi hæc uſu veniunt, ut oculis captus in tenebris cæcus ſedeam?* Rap. *Qui tibi oculorum lucem cæcando ademit, idem te, quia vir bonus es, ſanabit.* Tobæ. *Ità faxit Jehova. Sed ad rem. Meus hic filius Tobias vult ire in Mediam, frater; poteríſne ire cum eo? Et ego tibi mercedem dabo.* Rap. *Potero, quippe qui vias omnes noverim, omnémque illam regionem peragraverim, & montes teneam.* Tobæ. *Cujas es? Cujus generis? Et qua ex civitate?* Rap. *Quid ampliùs quæris? cùm mercenarium habeas, qui tuum filium comitetur ex tui animi ſententia.* Tobæ. *Frater, nomen tuum ſcire velim, & cujus nationis ſis.* Rap. *Ego ſum Azarias Hananeelis*

filius,

filius, de familia Solomithi majoris, tuus gentilis. Tob. *Quod ſalutare fauſtúmque ſit. Sed noli ægrè ferre, frater, quòd voluerim tuæ familiæ genus cognoſcere: meus gentilis es, egregiâ & nobili ortus familiâ. Nimirum nôſti Hananeelem & Nathanem, duos Solomithi filios, qui mecum itabant Hieroſolymam, cùm Iſraëliticam terram incoleremus, mecúmque ibi adorabant, neque unquam ad deos peregrinos qui in ea regione habebantur, deſciverunt: quod cæteri gentiles noſtri fecerunt. Quare vade frater feliciter cum filio meo: & redite feliciter, adjuvante Deo. Ego tibi in ſingulos dies drachmam ſolvam, & victum ut filio. Quòd ſi vos Deus Opt. Max. ſalvos reduxerit, iſtud tibi præmium augebo.* R. *Omitte timorē. Nam ego cum filio tuo, ſalvus cum ſalvo, & ibo & redibo.* Tobæ. *Compara tibi, Tobia fili, quæ ad profectionem ſunt neceſſaria, & proficiſcere cum iſto fratre. Deus omnipotens vos incolumes ducat & reducat, & vobis hoc iter ductu genii ſui proſperet.* Tobi. *Valete mei parentes obſervandi.* Tobæ. *Vale, & ambula proſperé.* A. *Oh, oh, oh, oh!* Tobæ. *Quid fles?* A. *Rogas? Nihilne vereris puerū abs te amittere, qui in oculis noſtris ob verſando, noſtram ſenectutem redderet leviorem? Quaſi verò non nos ſine illo argento aliturus eſſet Deus noſter.* Tobæ. *Nè time ſoror. Nam & proſperè ibit, & incolumem ad nos reverſum tu ipſa tuis oculis aſpicies. Deus ei noſter genium attribuet, qui ei iter bene fortunet, eúmque ſalvum reducat.* A. *Eheu!*

Sent. Parentum eſt, filios docere pietatem. Piorum curam mandavit Deus geniis ſuis.

ASMODAEUS. Tob. 6, & 7.

ARGUMENTUM.

Raphael genius agit cum Tobia de ducenda in matrimonium

nium Sara Raguelis filia. Deinde ubi ad Raguelem pervenerunt, fit matrimonium.

Raphael, Tobias, Raguel, Edna.

JAm tandem pervenimus Ecbatana, Tobia frater. Hâc nocte divertemur ad Raguelem. Is ſenex quidam eſt, qui filiam habet unicam, formâ præſtantem, nomine Saram. Ego cum eo agam ut eam tibi det in matrimonium. Eſt bonâ indole prædita, & patri dilectiſſima. Auſculta mihi, & de ea agito. Ubi Rage redierimus, celebrabimus nuptias. Non dubito, quin non ſit ille tuis poſtulatis contradicturus, neque eam contra legem Moſis alienigenæ traditurus. Nos eam ad patrem tuum ducemus. T. *At audio, frater, eam jam ſeptem viris eſſe traditam, qui antequam in ejus complexum venerint mortui ſint, ab Aſmodæo (ut dicitur) dæmonum rege necati. Quapropter nè me ille interficiat, non mediocriter pertimeſco. Quod ſi fieret, parentibus triſtiſſimi cauſam exitus præberem, qui alium nullum neque filium neque filiam habent, à quo eis vitâ defunctis parentetur.* Raph. *Verere modò Jehovam, ejúſque memor eſto: tum etiam patris tui præceptum recordare, à quo juſſus es uxorem ejuſdem tecum familiæ ducere. Tum me autore nihil dæmonem timueris. Satis exploratum habeo, te eam hâc nocte in matrimonio eſſe habiturum. Igitur ubi in cubiculum cum ea introiveris, ſumito cor piſcis quem tu in Tigre flumine dilaceràſti: & ex eo ſub ejus pallam ſuffitum facito. Eo nidore olfacto dæmon puellam fugiet, nunquam eam repetiturus poſtea. Cùm autem tibi cum ea congredi libebit, ſurgitote de lecto geniali, Jehovámque oratote & obſecratote, ut vobis pro ſua clementia opem ferre, puellaq; mederi velit. Tum demum cum ea rem*

habe-

habebis, ex qua liberos mares procreabis. Sed omnem timorem abjice: nam ea tibi deſtinata eſt ante orbem conditum, per téque eam Jehova à dæmone vindicaturus eſt. T. *Quid futurum ſit, viderit Deus. Sed certè facit tua oratio, ut à conjugio non abhorream.* Rap. *Jam appropinquamus domo Raguelis: & ecce eum ante ſuas ædes. Salve.* Ra. *Salvete & vos. Aſpice huc Edna, quàm hic adoleſcens formâ referat Tobæum fratrem meum.* E. *Unde eſtis, fratres?* Rap. *Ex captivis qui ſunt Niniveæ ex Nephthalina tribu.* E. *Noſtiſne Tobæum fratrem noſtrum?* Rap. *Novimus.* E. *Valétne?* Rap. *Valet.* T. *Iſte Tobæus frater (ut dicitis) veſter, pater meus eſt.* Rag. *O fauſtum diem! Libet te complecti. Jehovam tibi propitium precor, fili: nam ex viro optimo & probiſſimo natus es. Agè uxor, ſi quid eſt lautius, apparetur cœna: placet arietem mactari. Volo ego hos hoſpites accipi liberaliter. Succedite noſtro tecto: præſtemus nos hilares.* T. *Jam tempus admonet, Azaria, ut de matrimonio mentionem injicias.* Rap. *Memini. Quoniam filiam habes jam nubilem, Raguel, & hic eſt adoleſcens, & æqualis illi, & tribulis, petebat ut eam ſibi nuptum locares.* Rag. *Non me præterit, ſatius eſſe eam tibi quàm alteri tradi. Sed verum tibi dicam. Eam jam ſeptem viris locavi (ut tu ſcias) qui omnes ante ejus congreſſum mortui ſunt. Verùm ede & bibe, & iſtam rem omitte.* T. *Nihil agis: neque cibum ego, neque potionem capiam, quin tu eam mihi in matrimonium conceſſeris.* Rag. *Poſtquam ità infixum in animo habes, obtineto ſané. Et quia conſanguinei eſtis, ego jam nunc eam tibi in matrimonium trado, ex inſtituto Moſaïco, & Iſraëlitico. Huc ades Sara: accipe hanc,*

Tobia,

Tobia. Jehova Deus cœleſtis vos hâc nocte cuſtodiat incolumes, ſuâque in vos clementiâ utatur.

Sent. Piorum opera fiunt autore & duce Deo. Pii voluptatibus etiam licitis imperant, non ſerviunt. Pii fugant dæmonia: In pios poteſtatem non habet dæmon.

RAGUEL. Tob. 10.

ARGUMENTUM.

Tobias Ragueli ſocero ſuo vale dicit, ſecum abducens illius filiam Saram, uxorem ſuam.

Tobias, Raguel, Sara.

MI ſocer Raguel, tu à me poſtulâſti, ut manerem apud te dies quatuordecim, & cum filia tua uxore mea Sara ſuaviter viverem: id quod tibi conceſſi. Nunc finita eſt dies: itaque peto abs te, ut me dimittas. Mei enim parentes ambo dies numerant, neque putant hoc loco rem eſſe. R. *Doleo me tam parvum ſpatium à te petiiſſe. Sed nihil obſtat, quò minùs id fiat longius. Mane apud me diutiùs: ego mittam ad tuum patrem nuntium, qui ei totum negotium renuntiet; nè ſit de te ſolicitus.* T. *Quæſo te, noli me remorari: cupio omnino ad parentes reverti.* R. *Quando urges, non remorabor invitum. En, trado tibi meam filiam Saram, necnon dimidium facultatum mearum. Ite feliciter: Deus Jehova, Deus majorum noſtrorum, vos fœcundet, mihique ex vobis liberos mares oſtendat, qui divinæ legi dent operam. Agité, deoſculari vos volo. Vide, mea filia, ut tuum ſocerum & ſocrum (qui nunc tui parentes ſunt) habeas in magno honore, maritum diligas, familiam regas, domum gubernes, & teipſam præſtes inculpatam, & cum bona pace profecta, efficias ut bonam de te famam viventes adhuc læti hilaréſq; accipiamus. Et tu Tobia fili, vale. Jehova te Deus cœleſtis ſalvum*

perducat, mihique ex te & filia mea Sara liberos Jehovæ ſtudioſos, eique probatos oſtendat, antequam moriar. Ecce Saram filiam meam in poteſtate tua! noli eam unquam malè tractare. Ite ſanè incolumes. S. *Valete parentes chariſſimi: valete cognati & amici omnes.* T. *Vale ſocer: vale ſocrus: valete omnes. Ego Jehovæ gratias ago, qui me lætum reddiderit, & tot beneficiis tam mirificè affecerit.*

Sent. Uxoris eſt ſequi virum, & propter eum parentes patriámque relinquere. Eſt enim matrimonii conjunctio arctior quàm naturæ.

TOBAEVS. Tob. 11.

ARGUMENTUM.

Tobias ex Media reverſus venit ad parentes, & felle piſcis oculos patris ſanat à cæcitate: qua de re pater Deo gratias agit.

Raphael, Tobias, Anna, Tobæus.

F*Rater, tu ſcis quàm ſolicitum reliqueris utramque parentem: quapropter antecedamus ego & tu; uxore tuâ cum famulis, reliquóque noſtro comitatu ſubſequente.* Tobi. *Bene mones.* R. *Præpara fel piſcis.* A. *Atat, ô mi vir, adventat meus Tobias cum comite. Curro ei obviàm.* R. *Tui patris, quem video eſſe cæcum, oculi felle iſto aperientur atque ſanabuntur. Itaque cùm ad eum acceſſeris, illinito ejus oculos iſto felle: tum ille fellis mordacitatem ſentiens, ſibi oculos fricabit; atque ità, dejectâ albugine, & cœlum & te lætus videbit.* A. *O gnate, jam mortem non deprecor, poſtquam tuum conſpectum cernere licuit.* Tobi. *Salve mea mater. Sed accedit huc pater. Hei mihi! collapſus eſt. Accurram. O mi pater, ſalve.* Tobæ. *Salve, fili optatiſſime: ut vales?* Tobi. *Optimè; eſt Deo gratia. Sed patere me tibi oculos illinere hoc felle. Nam ſpero hoc tibi fore ſalutare.*

Tobæ.

Tobæ. *Libenter patiar.* Tobi. *Expectemus pauliſper.* Tobæ *Sentio fellis mordacitatem.* Tobi. *Frica tuos oculos.* Tobæ. *O ſupra modum mirandum miraculum! Nunc te liquidò video, fili: amplectere me: gratias ago Jehovæ Deo Iſraëlitarum, qui cæcos illuminat, qui mihi oculos aperuerit: cujus nomen nullis unquam ſeculis ſatìs dignè laudari poterit, qui in me hoc tantum munus contulerit. Hic vulnerat, & ſanat: hic occìdit, & vitam dat: huic gratias ago, qui te nobis, feliciter expedito itinere, ſalvum lætúmque reſtituerit.*

Sent. Deus ſuos à miſeria tandem liberat. Medicina mordax. Deo gratiæ ſunt agendæ de omni bono.

RAPHAEL. Tob. 12.

ARGUMENTUM.

Raphael Tobæo & Tobiæ, ſibi mercedem ſolvere volentibus, ſe indicat, eíſque officium præcipit.

Tobæus, Tobias, Raphael.

TObia fili, ſolvamus iſti homini, qui te comitatus eſt, mercedem; & eam cum corollario.* Tobi. *Pater, demus ei dimidiam partem pecuniæ, quam illinc attuli. Nam is me incolumem duxit & reduxit, meámque uxorem ſanavit, & argentum à Gabele abſtulit, & tibi oculos ſanavit: pro quibus omnibus quænam ei referri par gratia poteſt? Huc ades, Azaria. Accipe frater mercedem tuam, id eſt, dimidiam pecuniam, quam illinc apportâſti: & vale.* R. *Canite Jehovæ carmen novum, eique gratias agite, & ejus nomen celebrate, pro tantis ejus in vos collatis beneficiis: crebríſque precibus, ſupplicationibus, & beneficentiâ erga egentes eum affectate quoad vivetis: Nam plùs apud eum valet aſſiduum beneficentiæ officium, quàm argenti aurique copio-*

ſa congeries: utpote cùm beneficentia vindicet à morte. Equidem nihil vos de rei veritate celabo. Quo tempore tu tuáque nurus Sara ſancti opem numinis precibus ſuppliciter magno cum animi angore implorabatis, veſtras ego preces (ut vos ſciatis) ad Majeſtatis ſolium ſubvehebam: cúmque tu mortuos ſepeliebas, aderam tibi, tuíſque difficillimis rebus, ab Jehova, qui te oculorum cæcitate tentaverat, (ſolet enim hoc pacto periculum facere bonorum) miſſus ſum ad te ſanandum & Saram tuam nurum. Sum autem Raphael genius, unus de principibus qui ad gloriæ ſolium famulantur. Nolite timere. Bene vobis ſe res habet. Agite Jehovæ gratias pro tantis miraculis, quæ vobis exhibuit. Nam quòd me, quamdiu vobiſcum verſatus ſum, edere & bibere vidiſtis: ſpecies illa fuit, quæ veſtris oculis obverſabatur; cùm re ipsâ neque ederem neque biberem. Quare mandate hæc omnia literis, quæ vos veſtri erga Deum officii per omnem vitam admoneant, atque hanc rem in omnem omnium ætatum æternitatem teſtentur: & Jehovæ gratias agite, ejúſque ſacram memoriam piè retinete; méque jam abſolvite, ut ad Deum me recipiam, à quo ſum miſſus ad vos.

Sent. Deus piis ſæpe nè cogitantibus quidem proſpicit. Per cruces ducit Deus ſuos ad felicitatem. Piorum primordia triſtia, exitus læti.

ACHIOR. Judithæ 5, & 6.

ARGUMENTUM.

Quærenti Oloferni de Judæorum ſtatu, narrat Achior: & quoniam eos invictos eſſe dicit (niſi fortè Deum ſuum offenderint) iratus Olofernes, eum jubet ad Betulienſes Judæos deduci, ut unà cum illis pereat.

Olofernes, Achior, Proceres.

Narrate

NArrate mihi, vos Chananæi, de iſtius nationis hominibus, qui in montanis habitant; quas incolant urbes, quantam habeant copiarum multitudinem, quâ re plurimùm valeant & poſſint, quo rege & exercitûs duce utantur; & cur ſoli ex occidentalibus mihi obviàm venire neglexerint. A. *Audi, domine, orationem ſervi tui. Enuntiabo tibi rem omnem, ut ſeſe habet, de gente iſta montana, quæ finitimos tibi fines incolit: neque ullum ex ore meo mendacium excidet. Homines ſunt prognati à Chaldæis, qui principiò Meſopotamiam incoluerunt. Cùm enim deos patrios Chaldæorum detractarent, patriiſque moribus relictis, unum ſibi Deum cœleſtem ad adorandum delegiſſent, ab illis exagitati, in Meſopotamiam aufugerunt. Ibi cùm aliquandiu commorati eſſent, juſſi à Deo ſuo in Chananæam commigrare, paruerunt; atque in Chananæa commorati, magnum auri argentique & pecoris numerum compararunt. Poſtea, dominante fame, in Ægyptum devenerunt: ubi tam diu incoluerunt, donec in innumerabilem hominum multitudinem excreverunt. Deinde cùm à rege Ægypti crudeliùs tractarentur, & lateres conficere indignè & labore ſervili cogerentur, Deum ſuum implorârunt, qui totam Ægyptum ineluctabilibus calamitatum ictibus perculit. Quibus malis coacti Ægyptii, eos tandem ab ſeſe emiſerunt. Sed poſtea remiſſo malo, cùm eos fugientes revocare, rurſúmque in ſervitutem redigere conarentur, Deus illis mare rubrum diſcluſit, ità ut ab utroque latere aqua in muri firmitatem concreta ſtaret; quâ illi viâ in ſicco per medium maris ſolum pertranſiverunt. Eodèm Ægyptius exercitus conſecutus, aquâ ſubmerſus ità eſt, ut ex innumerabili*

multitudine nè nuntius quidem evaſerit. Trajecti mare rubrum, in ſolitudinem montis Sinæ venerunt, ubi mortalium nemo conſiſtere unquam, aut habitare potuerat: ibi dulces ex amaris fontes ad bibendum habuerunt, & victum de cœlo per quadraginta annos acceperunt. Ac quocunquè unquam venerunt, Deus eorum hoſtes pro eis, nullo arcu nullâ ſagittâ, nullo ſcuto, nullo gladio debellavit; nec unquam huic genti reſiſti potuit, niſi ſi quando à ſui Dei cultu deflexit. Nam quoties alium Deum quàm ſuum coluerunt, direpti ſunt, & omnes à bello contumelias pertulerunt. Quoties autem Dei ſui cultum repetiverunt, Deus eis cœleſtis reſiſtendi vires dedit. Ad extremum, Chananæos, Jebuſæos, Pherezæos, Hettæos, Hevæos, Amorrhæos, & fortiſſimos quoſque Heſebonios deleverunt, eorúmque agros & oppida occupârunt. Ac quandiu ſeſe à Deo ſuo offendendo continuerunt, multis bonis fruiti, Dióque ſuo (qui improbitatem odit) proſpero uſi ſunt: & ante hæc tempora, cùm ab ea vivendi ratione, quam eis Deus tradiderat, declinaviſſent, diverſis diverſarum gentium bellis profligati, & tandem frequentes in extraneas regiones captivi abducti ſunt, eorúmque & fanum ſolo æquatum, & oppida capta, & ab hoſtibus compilata ſunt. Sed nunc ad Deum ſuum converſi, ex diſperſione ac diſſipatione congregati ſunt, deſertóſque montes occupârunt, & Hieroſolymam (in qua eorum ſacrarium eſt) obtinuerunt. Quare diſquirendum eſt, domine, ſiqua in offenſa ſint apud Deum. Nam ſi ſunt, facilè eos, ipſo concedente, ſuperabimus. Quòd ſi nihil ab eis eſt commiſſum, bello ſuperſedendum cenſeo: nè, Deo pro eis propugnante, infamiam apud omnes mortales ſubeamus. P. Quis eſt iſte

qui

qui tantum tribuit Iſraëlitis, ut eos putet Nabuchodonoſori poſſe reſiſtere? homines imbelles, & rei militaris ignaros, qui mehercle unum tui, Olofernes, exercitûs impetum ſuſtinere non poterunt. Invadamus modò, & Achiori oſtendamus, eos poſſe ſuperari. O. *Quoniam tu nobis iſtud oraculum, præclare vates, edidiſti, Iſraëlitas à Deo ſuo defenſum iri; ut intelligas unum eſſe deum Nabuchodonoſorem, contra cujus invictam poteſtatem nè illorum quidem Deus ſtare poſſit; nos, qui ab eo miſſi ſumus, illos ad unum funditus ad internecionem ità delebimus & equitatu proculcabimus, ut eorum montes ſanguine redundent, & campi corporibus compleantur; citiúſque illos ad fugam, quàm nos ad perdendum vires deficient. Hæc eſt totius orbis domini Nabuchodonoſoris indeclinabilis ſententia. At tu Ammonitarum mercenarie, Achior, qui tam divinum nobis oraculum effatus es, eſto ſanè tantæ particeps potentiæ, &, quos nobis anteponis, ad eos defice: ut cum eis potiùs, ut dignus es, pereas, & inter eos à noſtra acie contrucidatus des pœnas. Quòd ſi tantum tuæ ſuperſtitioni confidis, ut me, quæ ſuſcipio, præſtare non poſſe credas: quid metu exalbeſcis? Hîc tibi tuta ſunt omnia: non peribis, niſi cum illis quos perire non poſſe vaticinaris. Vos, mei ſatellites, abripite hunc Betuliam ad ſuos Iſraëlitas: ut illorum potiùs exitii quàm noſtræ ſit ſocius victoriæ.*

Sent. Veritas inviſa mundo. Etiam de veritate rogantes, veritatem audire nolunt. Aſſentatorum plenæ ſunt domus, auréſque potentium. Aſſentatorem qui amat, ruinam amat. Caſum antecedit ſuperbia.

IUDITHA. *Judithæ* 8.

ARGUMENTUM.

Juditha Betulienſium primates objurgat, quòd de urbis

deditione pacti ſint ; & eos conſolata, ſeſe ad eis ſuccurrendum parat.

Juditha, Ozias & cæteri ſenatores.

Attendite primates populi Betulienſis. Promiſiſtis populo, & quidem interpoſito jurejurando, vos urbem hoſtibus poſt quinque dies eſſe dedituros, niſi Deus vobis interea tulerit auxilium. Itáne verò tempus divinæ ſtatuitis miſericordiæ? Et ei diem veſtro arbitrio dicitis? Hoccine tandem eſt Deum ad clementiam pellicere? an ad iracundiam inſtigare? Dicite mihi vos qui Dei voluntatem in certum quoddam curriculum includitis, poteſtiſne, non dicam Dei, ſed hominum animus qui ſit, & conſilium perveſtigare? Quid Dei horum omnium autoris? Mentémne ejus tenetis? Nihil minùs, fratres. Nolite Dei iram provocare: qui ſi nolit intra quinque dies auxiliari nobis, at poteſt intra quot volet, poteſt nos quolibet die vel tutari, vel hoſtium crudelitati objicere. Vos verò nolite Dei quaſi vadari conſilium. Neque enim is eſt, ut aut minis, hominum more, terrendus, aut arbitrio cujuſquam ſit coercendus. Quare expectemus ab eo ſalutem, ejúſque auxilium petamus. Spero eum, pro ſua facilitate, noſtras preces auditurum; præſertim cùm nulla hodie in noſtro genere neque tribus extet, neque natio, neque populus, neque civitas, quæ deos colat fabriles: quæ res ſuperioribus temporibus in cauſa fuit, ut patres noſtri bello & direptionibus vaſtati, & ab hoſtibus magnâ clade conciſi ſint. At nos alium Deum non agnoſcimus, unde ſperare debemus, eum non eſſe nos noſtrûmque genus deſpecturum. Quòd ſi in hoſtium poteſtatem venimus, non tantùm nobis nocuerimus, ſed etiam reliqua Judaea, noſtráque ſacraria depeculanda relinque-

reliquerimus : quorum pollutionem, & conſanguineorum noſtrorum metum, & nationis captivitatem, & noſtrarum poſſeſſionum vaſtitatem, Deus temeritati noſtræ accepta feret, & à nobis pœnas repoſcet, ubicunque gentium ſumus ſervituri, ut à noſtris dominis indignitates omnes & contumeliæ nobis ſint perferendæ. Neque enim talis ſervitus nobis Dei gratiam, ſed hominum afferet infamiam. Quamobrem fratres (quandoquidem à vobis aliorum animi pendent, vobis ſacrarium, vobis fanum, vobis ara nititur) demonſtrate conſanguineis noſtris, non eſſe deſperandum; contráque, quicquid acciderit, fortiter eſſe & conſtanter ferendum: Deóque in his omnibus gratias agendas, qui nos tentat, ſicut olim patres noſtros tentavit. Recordamini Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Moſem, denique omnes veros Dei cultores & amicos, quot, quantos, quàm varios perpeſſi ſint dolores. Conſtituite nunc altera ex parte eos, qui Dei periclitationis impatientes, contemptiùs de eo, & graviùs, & ſenſerunt, & locuti ſunt; ut fœdè perditi, & à ſerpentibus exanimati ſint. Quare nè horum deſperationem ſequamur, ſed illorum ſuperiorum fiduciam imitemur: cogitemúſque nos, non ut hoſtes extremo ſupplicio affici, ſed ut ſervos ſontes ſalutari verberationis medicinâ corrigi. O. Rectè tu quidem omnia, & quæ nemo neget. Neque nunc primùm tua prudentia, intelligentia, conſilium innoteſcit: quin jam ab ineunte ætate vulgò compertum eſt, iſta eſſe in te ſingularia. Sed & plebem ſitis ad efflagitandum, & nos plebs ad jurandum adegit; quod jusjurandum violare, nobis nefas eſt. Quocirca precare tu pro nobis Deum, quæ pia & religioſa mulier es, ut pluvia noſtros lacus impleat, nè ſiti deficiamus. J.

Quem-

Quemadmodum igitur id, quod dixi, à Deo eſſe ſentitis: ità etiam id, quod facere decrevi, an ab eodem proficiſcatur, periculum facite; Deúmque orate, ut meum conſilium comprobet. Sum enim facinus editura, quod omnis poſteritatis memoria concelebret. Vos hâc nocte ad portam eritis, ego cum ancilla mea exibo; ac ſpero fore, ut Deus, intra dies poſt quos urbis deditionem conceſſiſtis, per me Iſraëlitis ſubveniat. Sed nolo vos in meum propoſitum inquirere, (neque enim vobis, niſi re perfectâ, enuntiabo) neque quicquam aliud niſi Deum pro me uſquè ad meum reditum orare. O. *Bene vale, Deo tibi ad hoſtium ultionem viam præeunte.*

Sent. Deo præſcribendum non eſt. Inſontibus etiam in ſumma deſperatione de Deo bene ſperandum eſt. Magnum innocentia præſidium.

OLOFERNES *Judithæ* 10, 11, & 12.

ARGUMENTUM.

Juditha ad Olofernem perducta, ei per dolum promittit de Judæis victoriam.

Excubitores, Juditha; Milites, Olofernes.

C*Ujas es mulier? Unde, & quò?* J. *Ex Hebræis ſum: quos quia exploratum habeo venturos in veſtram poteſtatem, ab eis transfugio, méque ad Olofernem imperatorem recipio, ut ei illorum arcana aperiam, viámque demonſtrem, quâ omnibus montanis, ſine ſuorum cujuſpiam cæde, potiatur.* E. *Bene tuæ vitæ proſpexiſti, quæ ad dominum noſtrum venire, & citò venire decreveris. Nos te ante eum ſiſtemus. Quò cùm perveneris, nolito animo formidare, quò minùs rem omnem ei exponas. Nam hoc tibi confirmare poſſumus, te eo benefico eſſe uſuram. Deducamus eam ad imperatoris tabernaculum. Vos reliqui interea excubias nihilominus habete.*

Nos

Nos centum eam ducemus. M. *Heus tu, quò tam manè tanto ſtudio & frequentiâ feſtinatur?* Al. *Dicitur, transfugam quandam Hebræam ad imperatorem duci, quæ ſit mirabili pulchritudine.* M. *Accurramus. O venuſtatem incredibilem! Quis militiam detrectet adverſus Hebræos, qui tales habeant mulieres? Pro quibus pugnando occumbere quis dubitet?* J. *Salve imperator maxime.* O. *Allevate eam mei ſatellites. Bono animo es mulier, depone animi metum. Nam ego nemini unquam malefeci, qui terrarum orbis domino Nabuchodonoſori ſervire voluerit. Quòd niſi tui me, montium fiduciâ, contempſiſſent, nunquam ego meam in eos haſtam vibraviſſem. Sed ipſi ſibi malum hoc conſlaverunt. Verùm dic mihi, quam ob cauſam ab eis ad nos perfuga tranſieris. Nam ad ſalutem veniſti. Sume animum: vives & in hanc noctem & in poſterum, neque tibi quiſquam officiet; contráque tecum bene agetur, quo modo ſolet cum ſervis domini mei regis Nabuchodonoſoris.* J. *Attende igitur quæ dicam, domine, & ea memoriæ manda. Dicam autem nihil vanum, (abſit) ſed ea dicam, quæ ſi ſequi voles, rem tibi perfectam tradet Deus, neque tuus te conatus fruſtrabitur. Ità vivat omnium terrarum rex Nabuchodonoſor, & ejuſdem tibi concredita poteſtas, à quo ad omnes mortales corrigendos miſſus es, ut per te non ſolùm homines illi ſervient, verùm etiam feræ, pecora, volucres, ſub ejus imperium tuâ virtute ſubjicientur. Nam non ſolùm de tua ſapientia tuiq; ingenii acumine fama apud nos percrebuit: ſed etiam per omnes jam oras ſermones diſſipati ſunt, te unum eſſe toto in regno optimum, potentiſſimum, & in rei militaris prudẽtia admirabiliſſimum. Jam verò, Achior, quæ in tuo*

concilio dixit, & quæ tu ei reſpondiſti, audita nobis ſunt. Nam comprehenſus à Betulienſibus, rem omnem eis expoſuit. Cujus tu cave nè orationem negligas, ſed memoriæ tradas; eſt enim vera: neque enim ſuperari, neque armis debellari natio noſtra poteſt, niſi Deum ſuum ſcelere aliquo ſibi infeſtum reddiderit. Quare nè tuus labor irritus & inanis fiat, expectandum eſt dum ſcelus quoddam, quod jam in animis conceptum habent, commiſerint: quo ſcelere cùm Deum irritaverint, facilem & ſibi perniciem, & tibi victoriam conciliabunt. Cùm enim commeatu & aquâ deficiantur, ſtatuerunt pecora invadere: & quæ guſtare Deus in lege vetuit, omnia decreverunt inſumere, frumentíque primitias, & vini oleíque decumas (quæ ſervabant dicata ſacerdotibus, qui Hieroſolymis apud Deum noſtrum miniſtrant) conſumere habent in animo, quæ nec manibus tangere cuiquam profano fas eſt. Idque ut ſibi facere liceat, miſerunt Hieroſolymam, (nam & Hieroſolymitani eadem fecerunt) qui ſibi poteſtatem à ſenatu afferant: quâ poteſtate ad eos relatâ, facturi ſunt quod dixi, & tum demum in tuam poteſtatem venturi. Horum ego omnium non ignara, ab eis aufugi, ejuſmodi erga te facinus ex Dei mandato editura, ut ad ejus auditum omnes ſint mortales admiraturi. Sum enim religioſa, cœlíque præpotentem Deum noctes diéſque colo. Interea apud te commorans, domine, noctu itabo in vallem, Deúmque precabor: qui ubi me certiorem de eorum perfecto ſcelere fecerit, veniam id tibi indicatum. Tum tu cum omnibus copiis, nullo ex eis repugnante, proficiſcêris. Te ego per mediam Judæam, ad ipſam perducam Hieroſolymam, tuúmque currum

rum in media urbe ſiſtam, ut eos tanquam paſtore deſtitutas oves abigas, nullo tibi nec cane oblatrante. Hæc ego, mihi præſignificata & prænuntiata ut tibi enuntiarem, miſſa ſum. O. *Bene fecit Deus, quòd te populo præmiſit: quæ res & nobis victoriam, & domini mei contemptoribus perniciem afferat. Quòd ſi tu, quàm es & formâ eleganti, & oratione eloquenti, tam præſtabis quæ locuta es; & Deus tuus mihi Deus erit, & tu Nabuchodonoſoris domeſtica per totum orbem celebraberis. Agitè mei ſervi, ducite hanc in meam cellam, eíque de meo penu alimenta præbete.* J. *Dabis veniam: non licet mihi guſtare tua, niſi velim mihi malum conflare. Sed veſcar eis quæ mecum attuli.* O. *Quid? Ubi quæ tecum habes defecerint, unde tibi talia ſubminiſtrabimus; cùm veſtratia cibaria non habeamus?* J. *Sic tu bene vivas, domine, ut ego non antè conſumpſero quæ habeo, quàm Deus per me effecerit quæ decrevit facere.*

Sent. Qui verum audire non vult, dignus eſt qui mendaciis decipiatur Qui veritati non credit, is mendacio facilè capitur. Mulieris pulchritudo & oratio fallax. Bonum conſilium qui repudiat, is in malum conſilium cadit.

VIRAGO. Juditha 13, & 14.

ARGUMENTUM.

Juditha noctu caput Olofernis ferens, Betuliam portis apertis intrat, & caput illud oſtendens, eis quid facto ſit opus præſcribit. Deinde quonam pacto Olofernem interfecerit, Achiori narrat.

Juditha, Excubitores, Cives, Ozias, Achior.

H*Eus, heus vigiles, aperite, aperite portam. Deus Deus noſter nobis adeſt, qui hodie inſignem & præclarum victoriæ honorem tradidit Iſraëlitis.* E. *Judithæ vox auditur, ſocii; deſcendamus properè ad portam. Convocentur huc ſenatores, vos incendite faces.* J.

Vide

Vide Abra, ut iſtud caput habeas in promptu, ut id, poſcente me, continuò de pera, unà cum velo, depromas. Jam hîc aderit omnis civitas. C. *Prælucete funalibus vos: aperite portam, janitores: intromittite eam, ut videamus quid novi ferat.* J. *Laudate Deum, laudate Deum, qui ab Iſraëlis ſtirpe miſericordiam ſuam non averterit, ſed hoſtes noſtros hâc nocte per meas manus fregerit. En vobis caput hoſtis veſtri Olofernis, ſummi Aſſyriorum imperatoris! en velamen in quo ille jacebat ebrius, quem Deus meâ facie deceptum, muliebri manu occîdit; méque euntem, manentem, redeuntem, inviolatam, intemeratámque conſervavit, neque ab illo violari permiſit! Et nunc & illam viciſſe, & me evaſiſſe, & vos liberatos eſſe lætor; vóſque, ut Dei bonitatem infinitámque miſericordiam prædicetis, exhortor.* C. *Agimus Deo noſtro gratias, qui tibi tantam virtutem tribuerit, ut hodie per te noſtros hoſtes in nihilum redegerit.* O. *O omnium mortalium fœminarum Deo acceptiſſima fœmina! ô cœli terrarúmque creatoris Dei nunquam ſatis prædicandæ laudes! qui tuam vulnus in caput principis hoſtium noſtrorum direxerit; quo facto tantam tibi hodierno die nominis gloriam comparavit, ut tuæ virtutis laus tam diu in hominum mentibus hæſura & linguis celebranda ſit, quandiu hujus immortalis Dei facinoris memoria durabit, quæ quidem in tantis nationis noſtræ anguſtiis non dubitaveris vitam tuam ruinæ opponere, & jam deſpondentibus animos ſubvenire.* J. *Attendite nunc fratres. Hoc caput in pinnis murorum noſtrorum ſuſpendetis. Deinde orto ſole univerſi armati eruptionem facietis, ità ut ad eorum oppugnanda præſidia deſcendere videamini. Tunc accidet*

cidet (id quod erit neceſſe) ut ad Olofernis tabernaculum concurratur: quo invento mortuo, tantus illos timor occupabit, ut præſidium ſibi in fuga ponant. Tum vos ſequamini licebit, eóſque paſſim, Deo concedente, obteratis. Sed antè accerſatur mihi Achior Ammonita, ut Iſraëlitarum contemptorem (à quo ad nos tanquam ad certam necem amandatus eſt) videat. Adeſdum Achior. Deus Iſraëlitarum (cui tu teſtimonium dediſti, ultorem eſſe hoſtium ſuorum) caput omnium infidelium hâc nocte meâ manu truncavi. Quod ut ità eſſe credas, ecce tibi caput Olofernis, qui ſuâ arrogantiâ Deum Iſraëlitarum deſpicabatur, tibíque mortem in communi Iſraëlitarum cæde aſſignabat! A. *O te non ſolùm in omnibus Judææ domiciliis, ſed etiam in omnibus gentibus felicem; cujus audito nomine, homines ad Deum laudandum excitabuntur! Sed jam narra mihi, ſi placet, quomodo te hac tota in re geſſeris.* J. *Principiò cùm hinc (ut ſcis) profecta incidiſſem in vigiles, ab eis deducta ſum ad Olofernem: apud quem, magnâ omnium expectatione juſſa dicere cur adveniſſem, ſimulavi me eſſe perfugam, qua deſperatione rerum noſtrarum ad eum tranſiiſſem; demonſtravíque ea quæ ex te audiviſſet eſſe vera. Neque enim genus hoc hominum poſſe ſuperari niſi aliquo facinore admiſſo. Sed jam fame preſſos Iſraëlitas, cogitare veſci eis, quibus veſci lex prohiberet: quo ſcelere ſi ſe obſtrinxiſſent, facilè eos victum iri. Quare expectaret, dum id ſcelus eſſet perpetratum; mihíque interea in ejus caſtris verſanti faceret, quandocunque vellem, exeundi poteſtatem, ut Deum precarer: & illo ſcelere commiſſo, à Deo certior fierem, eúmque de eo*

admonerem: tum demum enim eſſe ſuperaturum. Credidit ille, mihique omnia quæ petieram conceſſit. Ità triduo in caſtris verſata ſum; noctu interim in vallem, Deum ſalutandi gratiâ ventitans, Deique præſens auxilium ſuppliciter implorans. Quarto denique die ab illo ad compotationem accerſita, adfui; oſtendíque me quicquid imperâſſet eſſe facturam. Potatur; ipſe mei cupiditate ardens, largiùs ſeſe invitat. Clauſâ cœnâ, cùm cæteri vini pleni diſceſſiſſent, Bagoas eunuchus tabernaculum externè clauſit, me ibi ſolâ relictâ cum Oloferne, qui ebrietate & ſomno oppreſſus, in lecto recubuerat. Hìc ego, cùm pediſſequæ meæ mandaviſſem, ut extra cubiculum manens, exitum mihi tutum curaret, Deum (ad illius lectum ſtans) cum animo meo oravi, ut mihi tum meiſque adeſſet. Deinde ad lecti columellam, quæ erat propter caput Olofernis, accedo; indè acinacem detraho, & ad lectum me applicans, ſiniſtrâ cæſariem ejus prehendo; Deúmque tacitè precata, ut me in ea re confirmaret, collum ſummâ vi bis ferio: amputatóque capite, corpus à ſtragula veſte provolvo; & ablato velo, exeo, ac pediſſequæ caput trado: quo in eſcariam peram indito, ambæ de more ſic quaſi ad ſupplicationem egreſſæ, huc tutò pervenimus. C. *Salvi ſumus, reviximus: ô fauſtam noctem, quæ nos ab æterna nocte vindicas!* A. *Quanquam quod dixi Oloferni, de Dei veſtri poteſtate, non aliter dixi quàm ſentiebam: tamen nunc multò magis hâc re confirmatus, credo; volóque deinceps, non tam Iſraëlitarum laudator, ſed civis eſſe, & in veſtrum numerum pignore circumciſionis adſciſci.*

Sent.

Sent. Superbiſſimus quiſque turpiſſimâ morte dignus eſt. Vel fœminæ manu poteſt Deus hoſtes ſuos ulciſci. Cæſo duce, facilè vincuntur milites.

SUSANNA. *Dan.* 13.

ARGUMENTUM.

Suſanna à duobus ſenatoribus, quia ipſorum libidini obſequi recuſâſſet, accuſata adulterii, ad ſuppliciũ damnata ducitur. Sed divinitus ſupervenit Daniel, qui interrogationis prudentiâ ſenatorum calumniam palàm facit; atque ità in ipſorum caput ſupplicium convertit.

Duo ſenatores, Concio, Suſanna, Daniel puer.

AUdite, univerſa Judæorum concio, quamobrem in veſtrum judicium adducta ſit hæc Joacimi uxor Suſanna. Heri, cùm nos duo judices in hortis ejus mariti ſoli deambularemus, hæc cum duabus pediſſequis ingreſſa eſt: quas ubi foras amandavit, hortorúmque januam obſeravit; venit ad eam quidam juvenis, qui tum in occulto latebat, & cum ea concubuit. Nos qui in hortorum angulo eramus, animadverſo tanto flagitio, accurrimus, & eos vidimus quidem coëuntes; ſed illum comprehendere nequivimus. Nam, cùm eſſet valentior quàm nos, apertâ januâ exiliit. Tantùm hanc prehenſam rogabamus, quis eſſet ille juvenis: ſed noluit nobis enuntiare. Hæc nos, impoſitis huic reæ (ſicut mos eſt) manibus, teſtamur. C. *Satìs explorata res eſt. Senatores ſunt qui teſtificantur, & iidem judices: dubitari non poteſt. Plectatur capite, quemadmodum lex jubet.* Suſ. *O Deus immortalis, qui occulta nôſti, qui omnia etiam antequam facta ſint perſpicis: tu ſcis, ut hi falſum contra me teſtimonium dixerint; ac vides ut capite dem pœnas, cùm nihil eorum commiſerim, quæ iſti contra me per calumniam malitiámq; commenti ſunt.* Sen. *Non eſt mirandum, ſi turpiſſimum facinus inficiatur.*

Sed interim ducatur ad ſupplicium, ut hoc tam deteſtabile facinus expietur, nè tam fœda in populo macula hæreat. D. *At ego teſtor, me in hujus ſanguinem nullo modo conſentire.* C. *Quidnam iſtud eſt, quod clamas tu?* D. *Itáne ſtulti eſtis, Iſraëlitæ, ut neque quæſtione habitâ, neque veritate compertâ, Iſraëlitidem condemnaveritis? revertimini in forum. Dico iſtos contra eam falſa eſſe teſtatos.* Sen. *Ergò tu ſede in medio noſtrûm, & tuam nobis pronuntia ſententiam, poſtquam tibi ſenatus divinitus datur.* D. *Sejungite procul alterum ab altero, ut eos examinem. Adducite huc mihi iſtum. Vetule annis, veterator malitiâ, nunc tua te ſcelera petunt, quæ factitabas antea, cùm inſontibus condemnandis, ſontibúſque abſolvendis, iniqua judicia faceres; Jehovâ innocentem & juſtum interfici vetante. Nunc igitur, hanc ſi quidem vidiſti, dic ſub qua arbore congreſſos videris?* Sen. *Sub lentiſco.* D. *Probè in tuum caput mentitus es. Jam enim Dei genius, mandato ab illo accepto, diſcindet te medium. Amovete hunc, adducite huc alterum. Agè genus Chananæum, non Judæum: te venuſtas decepit, tua tibi cupiditas mentem pervertit. Ità verò agebatis cum Iſraëlitidibus, quæ præ metu in veſtrum congreſſum veniebant. Sed non Judæ proles veſtram nequitiam ſuſtinuit. Agè igitur, ſub qua illos arbore congreſſos deprehendiſti?* Sen. *Sub ilice.* D. *Tu quoque probè in tuum caput mentitus es. Jámque præſtò eſt Dei genius cum enſe, qui te medium diſſecet, ambóſque perdat.* C. *O Dei bonitatem immenſam! à quo nunquam deſeruntur qui in eo fiduciam ſuam collocârunt. Abripiamus ad necem hos nequiſſimos & improbiſſimos vetulos, ut ex lege eâdem pœnâ plectantur, quam innocenti moliebantur.*

Sent.

Sent. Impii peccata peccatis tegere volunt. Deus innocentium preces exaudit. Impii in foveam cadunt, quam piis excavârunt.

CHALDAEI. Dan. 2.

ARGUMENTUM.

Nabuchodonoſor Babyloniæ rex Chaldæis jubet, ut ſomnium quoddam ſuũ (quod ipſi exciderat) dicant, & interpretentur: quod cùm illi non poſſent, imperat eos necari.

Nabuchodonoſor, Chaldæi.

A*Gitè verò conjectores, augures, harioli, Chaldæi, homines explicandi ea quæ ſunt obſcuritate involuta peritiſſimi; evellite hunc mihi ex animo ſcrupulum, meũmque mihi ſomnium aperite, cujus interpretationem anxius deſidero: nam eam ob rem eſtis convocati.* C. *Vitam tibi, rex, ſempiternam precamur. Eloquere ſanè nobis ſomnium: & nos id interpretando evolvemus.* N. *Oblitus ſum: quòd niſi vos & ſomnium mihi & ſomnii ſignificationem ediſſeritis; & vos per ſummum dedecus vitam amittetis, & veſtræ domus complanabuntur. Sin autem editis, multis à me muneribus & præmiis atq; honore afficiemini. Proinde facite, ſi ſapitis.* C. *At ſomnium dicere, tuum eſt; nos interpretationem recipimus.* N. *Enimvero video vos ex eo excuſationis occaſionem arripere, quòd videtis eam rem mihi memoriæ excidiſſe. Sed nihil agitis. Niſi enim me hâc ſuſpicione levatis, non poteſt eſſe dubium, quin uno omnes animo ſtatueritis, me longis quibuſdam ambagibus peſſimè deludere, & tempus conſumere dicendo. Quamobrem eloquimini mihi ſomnium, ut intelligam vos interpretari etiam poſſe.* C. *Nemo eſt in terra, qui iſtud præſtare poſſit: neque quiſquam unquam rex, aut princeps, aut domi-*

Sed interim ducatur ad ſupplicium, ut hoc tam deteſtabile facinus expietur, nè tam fœda in populo macula hæreat. D. *At ego teſtor, me in hujus ſanguinem nullo modo conſentire.* C. *Quidnam iſtud eſt, quod clamas tu?* D. *Itáne ſtulti eſtis, Iſraëlitæ, ut neque quæſtione habitâ, neque veritate compertâ, Iſraëlitidem condemnaveritis? revertimini in forum. Dico iſtos contra eam falſa eſſe teſtatos.* Sen. *Ergò tu ſede in medio noſtrûm, & tuam nobis pronuntia ſententiam, poſtquam tibi ſenatus divinitus datur.* D. *Sejungite procul alterum ab altero, ut eos examinem. Adducite huc mihi iſtum. Vetule annis, veterator malitiâ, nunc tua te ſcelera petunt, quæ factitabas antea, cùm inſontibus condemnandis, ſontibúſque abſolvendis, iniqua judicia faceres; Jehovâ innocentem & juſtum interfici vetante. Nunc igitur, hanc ſi quidem vidiſti, dic ſub qua arbore congreſſos videris?* Sen. *Sub lentiſco.* D. *Probè in tuum caput mentitus es. Jam enim Dei genius, mandato ab illo accepto, diſcindet te medium. Amovete hunc, adducite huc alterum. Agè genus Chananæum, non Judæum: te venuſtas decepit, tua tibi cupiditas mentem pervertit. Ità verò agebatis cum Iſraëlitidibus, quæ præ metu in veſtrum congreſſum veniebant. Sed non Judæ proles veſtram nequitiam ſuſtinuit. Agè igitur, ſub qua illos arbore congreſſos deprehendiſti?* Sen. *Sub ilice.* D. *Tu quoque probè in tuum caput mentitus es. Jámque præſtò eſt Dei genius cum enſe, qui te medium diſſecet, ambóſque perdat.* C. *O Dei bonitatem immenſam! à quo nunquam deſeruntur qui in eo fiduciam ſuam collocârunt. Abripiamus ad necem hos nequiſſimos & improbiſſimos vetulos, ut ex lege eâdem pœnâ plectantur, quam innocenti moliebantur.*

Sent.

Sent. Impii peccata peccatis tegere volunt. Deus innocentium preces exaudit. Impii in foveam cadunt, quam piis excavârunt.

CHALDAEI. Dia. 2.

ARGUMENTUM.

Nabuchodonoſor Babyloniæ rex Chaldæis jubet, ut ſomnium quoddam ſuũ (quod ipſi exciderat) dicant, & interpretentur: quod cùm illi non poſſent, imperat eos necari.

Nabuchodonoſor, Chaldæi.

A*Gitè verò conjectores, augures, harioli, Chaldæi, homines explicandi ea quæ ſunt obſcuritate involuta peritiſſimi; evellite hunc mihi ex animo ſcrupulum, meũmque mihi ſomnium aperite, cujus interpretationem anxius deſidero: nam eam ob rem eſtis convocati.* C. *Vitam tibi, rex, ſempiternam precamur. Eloquere ſanè nobis ſomnium: & nos id interpretando evolvemus.* N. *Oblitus ſum: quòd niſi vos & ſomnium mihi & ſomnii ſignificationem ediſſeritis; & vos per ſummum dedecus vitam amittetis, & veſtræ domus complanabuntur. Sin autem editis, multis à me muneribus & præmiis atq; honore afficiemini. Proinde facite, ſi ſapitis.* C. *At ſomnium dicere, tuum eſt; nos interpretationem recipimus.* N. *Enimvero video vos ex eo excuſationis occaſionem arripere, quòd videtis eam rem mihi memoriæ excidiſſe. Sed nihil agitis. Niſi enim me hâc ſuſpicione levatis, non poteſt eſſe dubium, quin uno omnes animo ſtatueritis, me longis quibuſdam ambagibus peſſimè deludere, & tempus conſumere dicendo. Quamobrem eloquimini mihi ſomnium, ut intelligam vos interpretarì etiam poſſe.* C. *Nemo eſt in terra, qui iſtud præſtare poſſit: neque quiſquam unquam rex, aut princeps, aut dominator,*

nator, tale quid quaſivit ex ullo divino. Eſt enim, quod tu rogas, omnino difficilius, quàm quod poſſit quiſquam expedire, præter unos deos, qui inter mortales non verſantur. N. *Papæ! ergò vos prorſus inutiles eſtis, & hominum animis, inani præclaræ rei profeſſione, tenebras offunditis? Quis veſtrû erit uſus? Comprehendite, ſatellites, colligate, abducite ad extremum ſupplicium iſtos omnes nebulones. Jubeo, ego atque impero totum hoc tam indoctũ, & inſipiens doctorum & ſapientûm genus, ad necem trahi: ut, quorum nullus in vita uſus eſt, eorum mors ſit viventibus ſalutaris.*

Sent. Deus ſapientûm ſapientiam perdit. Deus ſapientes hujus mundi implicat inexplicabiliter.

DANIEL. *Daniel 2.*

ARGUMENTUM.

Daniel Nabuchodonoſori ſomnium ipſius dicit & interpretatur: quod quidem eſt de quatuor mũdi imperiis, videlicet Chaldæorum, Perſarum, Macedonum, & Romanorum: quibus ſuccedit regnum Chriſti, quod omnia illa abolet.

Daniel, Ariochus, Nabuchodonoſor.

N*Oli interimere iſtos ſapientes, Arioche, quos juſſit rex occîdi: ſed deduc me ad eum; ego ſuſcipio interpretationem.* A. *Placet: ſequere me.* D. *Sequor.* A. *Nactus ſum hominem ex captivis Judæis, ô rex, qui pollicetur interpretationem.* N. *Tûne is es, Baltaſar, qui poſſis mihi & quid in ſomnis viderim, & quid id ſignificet, effari?* D. *Quod quæris arcanum, ô rex, non ſapientes tibi, non conjectores, non harioli, non prodigiatores poſſunt explicare: verùm eſt in cælo abditorum demonſtrator Deus, qui ea tibi præmonſtrat, quæ olim eventura ſunt. Igitur tuum ſomnium, & viſum quod tibi ſecundum quietem occurrit, hujuſmodi eſt.*

Cùm

Cùm in lecto cubiculari jaceres, in cogitationem veniſti, quid poſthac futurum eſſet: id quod tibi ignotorum ille doctor declarat; idémque mihi, non propter excellentem ſapientiam, quâ unus cæteris mortalibus præſtem; verùm mihi idem aperuit, quò tibi plana faciam ea, quæ tu cum tuo animo cogitâſti. Tibi in ſomnis objecta eſt ſpecies quædam inuſitatâ magnitudine ſimulachri, ante tuos oculos ſtantis, aſpectu terribili: cujus caput erat ex auro probatiſſimo, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, pedes partim ferrei, partim cretacei. In eo ſpectando dum tu hæres, ſaxum ſuâ ſponte avulſum incidit in ejus pedes, eóſque contrivit: quo caſu confractum ſimul eſt ferrum, creta, æs, argentum, atque aurum: omniáque fragmenta ventus, tanquam æſtate ſtipulas ex area, ſic ſuſtulit, nè veſtigio quidem relicto: ipſum autem ſaxum, quo icta eſt ſtatua, mutatum eſt in ingentem montem, qui totum terrarum orbem complevit. Et hoc quidem eſt ſomnium. Jam interpretationem addemus. Tu rex es regum; tibi cœleſtis ille Deus nobiliſſimum regnum, & præclariſſimam largitus eſt poteſtatem; omnéſque homines, quotquot ubique terrarum ſunt, terreſtréſque beſtias, & aëreas volucres, ſub tuum imperium ditionémque ſubjunxit. Itàtu caput aureum. Poſt te autem exiſtet aliud regnum tuo deterius; id erit argenteum. Deinde æreum, cujus ditio latè in omnem terram patebit. Póſt, quartum ſurget, durum & planè ferreum. Ut enim ferri duritate omnia atteruntur & comminuuntur: ità ejus imperii violentia, & rigor, omnia violabit, & contundet. Pedes autem pedúmque digitos quòd vidiſti partim ferreos, partim fictiles; regnum illud diſſidens

 erit,

erit, & ex parte ferreum rigorem obtinebit, ſicut vidiſti ferrum cum argilla conjunctum: illa verò digitorum, partim ferro, partim argillâ conſtantium, diverſitas, regni inæquabilitatem loquitur, quod partim valens, partim debile futurum eſt. Quódque ferrum vidiſti argillæ conjunctum; illi quidem propinquitate inter ſe conjungentur, ſed invicem non cohærebũt, quomodo ferrum in terram ferruminari non poteſt. Ejus regni tempore ſuſcitabit Deus regnum nullâ unquam temporum ſerie delendum, neque alii genti tradendum, quod quidem franget & abolebit omnia illa regna, ipſúmque permanebit in ſempiternum. Quemadmodum vidiſti è rupe ſaxum nullâ manu erutum, quod ferrum, terram, æs, argentum, aurúmque perfregit: ità Deus ille maximus tibi præſignificat ea, quæ poſt hoc tempus futura ſunt: éſtque ſomnium certiſſimum, & cum re ad verbum conveniens.

N. *O immenſam ineffabiléma ſapientiam! ô profundum & ingenioſum intellectum! afferte huc citi odores & libamina: Dignus eſt cui ſuffimina fiant, cuique divini honores præſtentur. O Baltaſar, veſter Deus verè Deus eſt deorum, regúmque dominator, & obſcurorum explicator; poſtquam tu rem tam profundâ ignorationis caligine demerſam potuiſti in lucem eruere.*

Sent. Deus arcana ſua piis, & per pios etiam aliis patefacit. Omnia in deterius abeunt uſquè ad adventum Chriſti, Chriſti imperium æternum eſt.

FORNAX. Daniel. 3.

ARGUMENTUM.

Nabuchodonoſor Babyloniæ rex erectā à ſe ſtatuam auream imperat à cunctis ſuis populis congregatis adorari. Hoc cùm Sidracus, Meſacus, & Abdenago, Judæi, facere recusâſſent, in ignis fornacem conjiciuntur. Sed cùm ab igne indemnes fuiſſent, Nabuchodonoſor ipſorum Deum ſolum eſſe confeſſus, imperat adorari. *Si-*

Sidracus, Meſacus, Abdenago, Præco, Delatores, Nabuchodonoſor, Proceres.

QVorſum pertinet tanta hominum multitudo, à tam diverſis nationibus in hunc locum convocata? M. Neſcio: niſi quòd, dum video immanem illam ſtatuam juſſu regis erectam, metuere incipio, nè quid rex impium cogitet. A. Ego quoque valde commoveor, ac, nè velit eam adorari, vereor. S. Quid agemus igitur, ſi juſſerit? A. Nos verò non adorabimus: nam hoc quidem eſſet, Deo cultum renuntiare. S. Quâ tandem iſtud ratione? A. Rogas? Hominem, vivam Dei immortalis effigiem, ad pedes inanis & ſtupidi rei mortalis ſimulachri procumbere? Quid indignius, aut magìs impium fieri aut cogitari poteſt? M. At licebit, periculi deprecandi gratiâ, cultum ſimulare, cùm tamen animus in Deo ſemper fixus hæreat. A. Apageſis. Satiſne ſe viro probaret mulier, ſi, cùm alteri corpus ſuum proſtituerit, ſe tamen virum ſuum ſemper in animo ferre diceret? Hæccine tibi juſta excuſatio videretur? M. Nequaquam. A. Atqui non minùs eſt hoc abſurdum. Túne, qui unus es, teipſum divides, & alteram tui partem Deo, alteram Vejovi addices? Quæ tanta animi mollities eſt, aut quæ perverſitas, nos, quos honeſtum eſſet propter mortales dominos quamlibet mortem oppetere, quique id in aliis laudamus, metu frangi, & ab officio & pietate erga Deum immortalem deduci? S. Quid ergò cenſes? A. Subeundum quemvis cruciatum potiùs, & fortiter occumbendum, quàm tantillùm modò de via deflectendum. S. O maſculum pectus! laudo te. Equidem ità ſentiebam; ſed volui quid animi haberes tentare. Verùm edicitur ſilentium, & video in

loco edito præconẽ: audiamus quid proclamet. Præ. *Pax ſit rebus. Edico vobis, qui ex quacunque natione, populo, lingua, præſentes adeſtis, ut ſimulatque ſonum audietis tubæ, tibiæ, citharæ, ſambucæ, pſalterii, ſymphoniæ, & reliquorum concentuum, procumbatis & ſignum aureum adoretis, quod rex Nabuchodonoſor erigendum curavit. Quòd ſi quis non paruerit, continuò in igne candentem fornacem injicietur.* S. *Deum immortalem! quod ſcelus video? Eóne impietatis & inſaniæ prolabi homines, ut id tanquam deum colant, quod hominum manu factum, homine deterius eſt & inferius?* M. *O veſaniam! illud vide ſis, ut prociderunt omnes. Ego certè centies mori malim.* D. *Videtiſne illos tres Judæos qui non procubuerunt?* Al. *Video; nuntiandum id eſt regi.* D. *Rectè ſané: eamus ad eum.* A. *Adeóne concidiſſe conſtantiam, ut in tanto numerò nullus ſit, quem non labefactaverit metus?* D. *Optamus tibi, rex, vitam quàm longiſſimam. Tu edicto caviſti, ut omnes audito cantu muſico procumberent, & aureum ſimulachrum adorarent: rebellibúſque pœnam deſcripſiſti, ut igne cremarentur. Nunc homines quidam Judæi, quos tu procurationi Babylonicæ præfeciſti, Sidracus, Meſacus, & Abdenago, tuum edictum contemnunt, neque eoſdem tecum deos colere, neque ſtatuam adorare curant.* N. *Itáne eſt? Ergò invenientur, qui meum imperium detrectent? Ergò ego non maximus? Properate, adducite eos properé.* D. *Fiet.* N. *Jam ego eos docebo, quid ſit mihi non obedire: jam efficiam, ut ſciant me eſſe regem.* D. *Adducimus tibi homines, ô rex.* N. *Itáne eſt, Sidrace, Meſace, & Abdenago ut vos neque meos deos veneremini, neque auream ſtatuam à me erectam adoretis? Quid? Nunc ſal-*

tem non eſtis parati, auditis concentibus muſicis, accidere ad eam? nam niſi facitis, protinus in fornacem immittemini. Ecquis verò eſt Deus, qui vos à meis manibus liberet? S. *Nihil ſumus ſoliciti, quomodo tibi ad iſta reſpondeamus. Eſt Deus, quem nos colimus, qui & poteſt nos ex flammis ſervare; & ex tuis manibus, rex, profectò ſervabit. Quod etſi non ità eſſet, tamen omnino (nè tu erres) neque deos tuos coleremus, neque ante ſtatuam inclinaremur.* N. *Proh Deûm atque hominum fidem! tantâ eſſe quenquam audaciâ, ut auſit mihi in os repugnare? Ite, comportate ligna, ſubjicite igni alimenta, efficite eum ſeptuplum hujus qui nunc eſt. Vos verò, ô fortiſſimi viri totius exercitûs, comprehendite hos tres viros, colligate. Eia, quid ſtatis? Nihil opus eſt detrahere veſtes, vincîte unà cum omni amictu. Hem, ſic volo; præcipitate eos in flammam. Videamus quid poſſit eorum Deus: properate, ignavi; ego vobis hoc ſceptro comminuam capita. Papæ! videte ut flamma eos hauſerit, qui ipſi in flammam alios conjecerunt. Sed quid? O rem miraculi plenam! quid ego video? Eho mei proceres, nónne tres viros in ignem conſtrictos injecimus?* Pro. *Factum, rex.* N. *Atqui ego video quatuor viros ſolutos in media fornace ingredientes illaſos, & indemnes: quorum quartus formâ eſt auguſtâ, & planè divinâ. O rem inauditam! Accedam propiùs ad oſtium fornacis. Heus Sidrace, Meſace, & Abdenago, ſummi Dei cultores, exite huc.* S. *Adſumus, ô rex, è torrida flamma divinâ benignitate erepti.* Pro. *Dii boni! quid hoc rei eſt? Quanta miracula hodie cernimus! Videte ſultis, ut ignis in horum corpora nullam vim habuerit, ut nè pilus quidem crematus ſit, ut*

amictus

amictus integri, nullâ flamma notâ inuſti ſint. N. *Gratias ago Deo Sidraci, Meſaci, & Abdenagonis, qui genium ſuum miſerit ad liberandum ſui cultores, qui ipſius fiduciâ nixi, ſpreto regis edicto, maluerunt ſua corpora ad cruciatum tradere, quàm ulli Deo, præterquam ſuo, ullam cultum aut honorem habere. Itaque decerni placet, decretúmque in omnibus omnium linguarum nationibus & gentibus promulgari, ut qui malè de hoc Deo dixerit, turpiſſimo exitio plectatur, ejúſque domus publicetur & evertatur, ut illius facinus memoriâ & nomine loci notetur. Nam, præter hunc unum, præſens ac ſalutis præpotens Deus nullus eſt.*

Sent. Maxima pars mundi homines magìs metuit quàm Deum. Mori ſatius eſt, quàm ſimulachra colere. In juſtiſſimũ quemque graviſſimè ſæviunt principes hujus mundi. Deus ſuos novit vel ex mediis flammis eripere. Pii patiendo vincunt.

BALSASAR. Dan. 5.

ARGUMENTUM.

Acceríitus ex matris conſilio à Balſaſare Babyloniæ rege Daniel vates, ei legit & explanat ſcriptum manûs in pariete, quod Chaldæi non potuerant.

Balſaſar, Regina, Daniel.

N*Ullúmne eſſe è vobis, qui hoc legere & explanare poſſit? O homines ad nullam rem idonei! Quid attinet vos in tanto honore eſſe, ſi, cùm maximè opus eſt, tum minimè poteſtis?* R. *Regem multùm diúque ſalvere jubeo. Audivi ut tu te crucies, & aſtues, quòd nemo poſſit tibi hoc ſcriptum enucleare. Sed nè te afflicta, néve tantopere pertimeſce. Vir eſt quidam in tuo regno, mente ſanctiſſimorum deorum præditus, cujus excellens perfectáque doctrina, peritia, ſapientia tempore patris tui cognita perſpectáque fuit: quo nomine rex eum magorum*

gorum, hariolorum, divinorum, Chaldæorúmque magiſtrum eſſe voluit, quòd eum Danielem (nam id eſt ei nomen, quanquam rex Baltaſarem nuncupavit) compertum eſſet ſingulari ingenio & prudentiâ valere, inque ſomniis interpretandis, ambiguiſque aperiendis, & obſcuris declarandis, longè alios omnes antecellere. Proinde, ſi me audies, eum evocabis, ut te iſtâ difficultate liberet. B. *Evocetur ſané* R. *Mox aderit, nè trepida.* D. *Adſum tuo accerſitu, ô rex.* B. *Túne es ille Daniel, ex captivis Judæis, quos meus pater huc è Judæa traduxit?* D. *Etiam.* B. *Audio te afflatu auguſtiſſimorum deorum agi, ſcientiâque & prudentiâ atque ſapientiâ facilè principem eſſe. Eam ob rem te advocavi. Sed quam ad rem, audi. Cùm hîc læto ſolutóque animo opiparè convivarer, unà cum mei regni optimatibus; ecce extitit quædam quaſi manus, quæ digitis inſcripſit in tectorio parietis, è regione candelabri, ea quæ tu vides: ad quæ explicanda evocavi omnes Babylonios ſapientes; ſed eorum nemo, non modò interpretari, ſed nè legere quidem poteſt. Te autem accepi implicita evolvere, & obſcura optimè declarare poſſe. Nunc itaque, ſi potes hoc legere, & mihi quid ſit eloqui, purpurâ & aureo torque inſignitus, tertium regni principatum obtinebis.* D. *Tua tibi dona habeto, aut ea alii largitor. Ego tamen hoc ſcriptum & legam, & tibi planum faciam. Itaq; ades animo, ô rex. Nabuchodonoſori patri tuo olim largitus eſt Deus magnificum regnum, ſplendorémq; egregium: qua de cauſa omnes eum gentes & nationes trepidè metuebant: quippe qui, quoſcunque viſum erat, interimeret, cæderet, efferret, deprimeret. Sed cùm jam ſecundis rebus elatus intemperanter ſuperbiret & animos*

animos tolleret, de ſolio deturbatus eſt, & omni ſplendore amiſſo, ex hominum conſortio ejectus: tum in brutam naturam ſenſúmque tranſlatus, inter feras habitavit; & herbarum paſtu boum ritu delectatus, ventos imbréſque & omnes naturales cœli mutationes nudato corpore pertulit: donec tandem recognovit ſummum illum Deum terreſtris hujus imperii principem eſſe, & ei quem vellet præficere. Tu quoque Balſaſar, qui es ejus ſatu editus, nihilo te modeſtiorem præbuiſti, cùm tamen ea omnia præclarè ſcires: ſed te contra cœlorum Dominũ inſolentiùs geſſiſti, & nunc vaſa terreſtris ejus domicilii proferri juſſiſti, quibus tu, tuique proceres, & uxores tum juſtæ, tum concubinæ, in bibendo vino abuſi eſtis. Quin etiam deos celebraviſti aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos, qui neque cernunt, neque audiunt, neque ſentiunt: Deo autem, in cujus manu tua vita & facta omnia ſunt, nullum honorem habuiſti. Quare ab eo miſſa eſt hæc manus, cujus ſcriptum hoc eſt; Menſus eſt, menſus eſt, ponderavit & diviſit. *Senſus autem:* Menſus eſt; *menſus eſt Deus regnum tuum, & id conſummavit:* Ponderavit; *ponderatus es in trutina, & inventus levior:* Diviſit; *diviſum eſt tuum regnum, & Medis Perſiſque diſtributum.*

Sent. Cùm maximè opus eſt, tum minimè juvant hujus mundi ſapientes. Cùm trepidat, & nihil poteſt humana ſapientia, tum maximè ſeſe exerit divina. Qui alieno exemplo non ſapit, is ſuo periculo malóque dignus eſt. Hominum imperia in Dei ſunt arbitrio.

HAMAN. Eſteræ 7.

ARGUMENTUM.

Eſtera regina regi Aſſuero patefacit perfidiã Hamanis in Judæos; eámque ob cauſam rex illum jubet in crucẽ tolli ab eo ipſo erectam ad tollendum in eam Mardochæum Judæũ.

Aſſuerus

Aſſuerus, Eſtera, Haman, Harbona.

L*Autè ſanè & prolixè à te accepti ſumus, regina, uxor chariſſima. Quamobrem roges jam quidlibet licet; id rogatum feres. Dic quid petas: vel ſit dimidium regni mei, tamen impetrabis.* E. *Siquidem habeo te propitium, ô rex, & ſi ità tibi videtur, vitam mihi meíſque popularibus concedes. Hoc unum peto. Nam ſumus proditi, & indigniſſimo crudeliſſimóque exitio deſtinati. Quòd ſi ſervituti addiceremur, equidem tacita ferrem: quanquam indignus eſſet hoſtis, qui tantum regi damnum compararet.* A. *O ſuperi! Quis hominum eſt tam audax, ut id auſus ſit etiam cogitare? Aut ubi is eſt?* E. *Ecce hîc adeſt hoſtis infeſtiſſimus, homo hominum quantum eſt peſſimus, Haman.* A. *Proh Deûm atque hominum fidem! ô cœlum! ô terra! ardeo: tantâ inventum eſſe quenquam audaciâ?* Ham. *Exiit irâ inflammatus. Quantum ego illum video, res mihi ad reſtim rediit. Sed tamen tentabo animum reginæ, ſi fortè miſereſcat mei: quòd ſi hàc non ſuccedat, actum eſt, ilicet perii. Regina, jam non deprecor culpam: merui, fateor; nec poteſt ullum ſupplicium majus eſſe meo crimine: Sed te ſupplex, genua amplectens, per iſtam clementiam.* A. *Quem neque pudor, neque mea majeſtas deterruit. Sed quid video? Atat, etiam ad lectum reginæ? O magne Jupiter! etiámne ut reginam domi apud me vi comprimat? Corripite, velate vultum: indignus eſt qui lucem intueatur.* Har. *At etiam ſi ſcias quid machinatus ſit in Mardochæum, hominem de te, rex, optimè meritum, utpote per quem facta in te conjuratio patefacta ſit. Crucem ante domum ſuam in altitudinem cubitorum quinquaginta erigendam curavit, in quam*

cum

eum tolleret. A. *Percommodè cadit; autorem in eam tollite, ut eâdem, quâ alios captat, viâ capiatur.*

Sent. Muliebrium illecebrarum magna vis eſt in utramque partem; hoc eſt, vel ad nocendum, vel ad juvandum. Malum conſilium conſultori peſſimum. Impii ſuo ipſorum laqueo jugulantur.

ARTAXERXES. 2. Eſdræ 2. vel Nehem. 2.

ARGUMENTUM.

Nehemias à rege Artaxerxe veniam & opes impetrat, eundi inſtauratum urbem Hieroſolymam.

Artaxerxes, Nehemias.

QUi fit ut vultu ſis adeò triſti, cùm non ægrotes? Mirum ni animi triſtitia eſt. N. *Rex, in perpetuum vive. Poſſúmne non triſti vultu eſſe, cùm urbs, in qua ſepulchra ſunt majorum meorum, everſa ſit, & ejus portæ igne deflagraverint?* A. *Quidnam ergò petis?* N. *Si tibi videtur, & ſi quid apud te valeo, ut me dimittas in Judæam, ad inſtaurandam urbem patriam.* A. *Ego verò dimitto. Tu dicito, quid tibi ad iſtud fieri velis.* N. *Curabis, ſi placet, ut mihi dentur literæ ad prætores Syriæ, qui me curent deducendum, dum perveniam in Judæam. Deinde literæ ad Aſaphum regiæ ſylvæ cuſtodem, qui mihi ligna ſuggerat ad reficiendas portas arcis, quæ eſt ædi conjuncta, urbíſque mœnia, & domum, in quam ſum diverſurus.* A. *Dabuntur quæ petis.* N. *Ago tibi gratias immortales, rex, tibique fortunatiſſimum longiſſimúmque regnum precor.*

Sent. Regis animum Deus habet in manu, eúmque quocunquè vult inclinat. Cui propitius eſt Deus, huic conciliat benevolentiam potentium.

NEHEMIAS. 2. Eſdræ 5. vel Nehem. 5.

ARGUMENTUM.

Expoſtulant pauperes Judæi de divitum erga ſe iniquitate avaritiæ.

avaritiæ, Et Nehemias divites cogit in ordinem.

Plebeii, Nehemias, Primates, Sacerdotes, Populus.

M*Agnus eſt tum noſtrûm, tum noſtrorum liberûm numerus : comparandum eſt indè frumentũ, quo vivamus.* Al. *Oppignerandi ſunt fundi noſtri, & vineæ, & domus, ut nos frumento contra famem muniamus.* Al. *Jam pro noſtris agris, & vineis, ad tributum regi pendendũ, pecuniam ſumpſimus mutuã. An æquum eſt, ut cùm ejuſdem nobiſcum conſanguinitatis ſint alii, eadémque ſit liberorum eorum atque noſtrorum conditio, nos tamen liberos noſtros in ſervitutem dedamus, sintq; jam filiarum noſtrarum nonnullæ emancipatæ, neque eas vindicare poſſimus, cùm fundos & vineas noſtras teneant alii?* N. *O indignum facinus! Itáne verò, principes, fœnus à veſtris exigitis? Ergò nos conſanguineos noſtros Judæos, in exteras gentes venditos, pro noſtris viribus redemerimus; & vos eoſdem emetis, ut dominos non amiſerint, ſed mutaverint? Non rectè facitis. Nónne in metu Dei noſtri vivetis, ut barbarorum hoſtium noſtrorum vituperationem evitetis? Ego quoque, & mei cognati, atque famuli, argentum eis frumentúmque mutuò dedimus. Agité, remittamus hoc nomen. Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas, & oliveta, & domos: tum centeſimam condonate argenti, & frumenti, & vini, & olei, quæ eis mutua dediſtis.* Pr. *Reddemus, neque ab eis quicquam exigemus. Sic faciemus ut tu hortaris.* N. *Vos verò, ſacerdotes, jurate vos ità facturos.* S. *Faciemus.* N. *Ergò quemadmodum ego meum gremium excutio, ſic, quicunque non hæc præſtiterit, eum excutiat Deus ex domo & labore ſuo: ſicque eſto excuſſus, vacuúſque.* Po. *Amen.*

Sent.

Sent. Avaro homine nihil eſt iniquius. Avarùs animam venalem habet. Multùm pollet, etiam apud iniquos, juſtus & gravis homo.

VERITAS. 3. *Eſd.* 3, & 4.

ARGUMENTUM.

Darius Perſarum rex proponit optimatibus ſuis trium ſtipatorum ſuorum ſententias, ad judicandum quænam eſſet optima. Sunt autem eæ, de viribus vini, regis, mulierũ, & veritatis. Hîc cùm ſtipatores, juſſu regis, ſuæ quiſque ſententiæ rationẽ reddidiſſét, palmam obtinuit Zorobabel, qui veritati primas tribuiſſet: & à rege, præter ſtatutum diſputationis præmium, impetrat, ut Hieroſolymitanum fanũ inſtauret.

Darius, Anagnoſtes, Stipator, Alter ſtipator, Zorobabel, Optimates.

H*Æc cauſa eſt, mei proceres, cur vos juſſerim convocari. Cùm mei corporis cuſtodes, dormiente me, inter ſe (ut fit) confabularentur, eò delapſi ſunt, certatim ut dicerent ſuam quiſq; ſententiam, ecquæ res maximam vim habeat: eâ conditione, ut cujus dictum ego & Perſidis triumviri doctiſſimum judicaſſemus, huic victori pronuntiato ea darentur, quæ jam audietis. Recita ſchedulam.* An. *Cujus dictum ſapientiſſimum erit, is à Dario rege ingentia dona, & victoriæ ornamenta conſequitor, purpurâque induitor, & auro bibito, & in auro dormito, & aureis frænis currum, byſſinámque cidarim, & torque circundatum collum habeto, & ſecundum Darium primus propter ſuam ſapientiam ſedeto, Dariique familiaris dicitor. Primi ſententia eſt hæc;* Maximam vim habet vinum. *Alterius*; Maximam vim habet rex. *Tertii*; Maximam vim habent mulieres, *ſed* Omnia vincit veritas. D. *Nunc evocentur huc juvenes, ut ipſi ſua dicta declarent. Dicite juvenes ſuæ quiſque ſententiæ rationem.* St. prim. *Quantam vim habet vinum ô viri!*

viri! Omnes, à quibus bibitur, homines fallit: eandem regis ac privati, eandem ſervi ac liberi, eandem pauperis ac divitis mentem efficit; omniúmque animos ad lætitiam & hilaritatem convertit; neq; doloris ullius, neq; debiti memor, omnium animos divites reddit; oblitúmq; vel regis, vel ſatraparum, efficit ut nihil niſi magnificum loquantur; útque, cùm potaverunt homines, & fraternæ neceſſitudinis & amicitiæ memoriâ depoſitâ, continuò gladios ſtringant; neque poſtea, ubi à vino reſipuerint, quid fecerint recordentur. O viri, nónne permagnam vim habet vinum, quod hæc fieri cogat? Al. *O viri, nónne permagnam vim habent homines qui terras, & maria, quæq; in eis inſunt omnia teneant? Atqui rex omnibus antecellit & dominatur, in eóſque principatum tenet: ità ut, quicquid juſſerit, faciant. Si jubet ut inter ſe belligerent, parent: ſi contra hoſtes mittit, vadunt, & montes, & muros, & turres demoliuntur; occîdunt, & occiduntur, neque regis edictum excedunt. Quòd ſi vicerint, ad regem omnia referunt, tum quæ prædati ſunt, tum cætera. Item qui non militant, neque bella gerunt, ſed terram colunt, hi quoque ubi ſata meſſuerunt, ad regem referunt, cogúntque alius alium tributa regi ferre. Is unus ſi jubet perimere, perimunt; ſi dimittere, dimittunt; jubet verberare, verberant; jubet vaſtare, vaſtant; jubet conſtruere, conſtruunt; jubet excindere, excindunt; jubet ſerere, ſerunt: cunctúſque ejus tum populus, tum magiſtratus eidem parent; eóque interim accumbente, cibum capiente, dormiente, circùm undiq; cuſtodiam agunt; neque cuiquam diſcedere, & ſua negotia curare licet, neque ejus dictis non parere. Quare ſic ſtatuo, viri, regis maximam eſſe vim, cui ſic obtemperetur.*

peretur. Z. Magnus quidem rex eſt, viri, & homines multi, & vinum multùm poteſt. Quid qui his dominatur? Quis autem horum principatum tenet? Nónne mulieres? Mulieres regem genuerunt; & omne mortalium genus, qui mari ac terrâ dominantur, ab his ortum eſt: hæ ipſos educaverunt vinearum ſatores, ex quibus vinum fit: hæ hominum veſtes faciunt: hæ hominibus gloriæ ſunt, nec poſſunt ſine fœminis homines eſſe. Quòd ſi aurum, argentúmve, aut aliquam rem præclaram comparaverunt; nónne pulchræ alicujus & eleganti formâ mulieris amore capti, his omnibus omiſſis, in eam oculos defigunt? eam hianti ore intuentur? auróque & argento & omni rerum pulchritudini anteponunt? Homo, omiſſo ſuo ipſius parente à quo educatus eſt, ſuâque patriâ, uxori adhæreſcit, & cum uxore vitam finit, & patris & matris & patriæ immemor. Atque ut perſpiciatis mulieres in vos dominari; nónne, quæ labore & induſtriâ paratis, omnia mulieribus datis atque affertis? Sumit homo gladium, & foras ad latrocinandum & furandum proficiſcitur, & mare & flumina tranat, & leones videre ſuſtinet, & per tenebras graſſatur; atque ubi furatus, prædatus, graſſatus eſt, ad amicam omnia refert: plúſque diligit homo ſuam conjugem, quàm parentes; uſquè adeò, ut propter fœminas multi mente alienati, multi ſervi facti ſint, multi perierint, multi lapſi ſint & peccaverint. Quid? An mihi non creditis? Nónne ingens regis potentia eſt? Nónne omnes eum nationes vel tangere formidant? Atqui videbam cùm hominis præclariſſimi Bartaci filia Apame, regis concubina, ad regis dexteram ſedēs, de ejus capite diadema auferret, ſuóque imponeret: tum regis malam ſiniſtrâ manu feriret,

feriret, rege interea eam ore biante aſpiciente, & arridenti arridente, & ſuccenſenti blandiente, quò eam ſibi reconciliaret. Annon multùm valent mulieres, ô viri, quæ hæc faciant? Multùm ſanè & mulieres pollent, & ingens terra eſt, & excelſum cœlum; & ſol curſu velox, qui uno die cœlum circumvectus, eodèm recurrat unde profectus eſt, magnus ſanè eſt: ſed veritas maxima eſt, & omnium potentiſſima. Veritatem omnis terrarum orbis vocat: veritati cœlum ipſum favet: veritatem omnia reformidant, & tremiſcunt: neque quicquam in ea vitioſum ineſt. Vitioſum vinum eſt, vitioſus rex, vitioſæ mulieres, vitioſi mortales omnes, & ejuſdem vitioſitatis ſunt eorum opera omnia, in qua vitioſitate veritatis expertes pereunt. At veritas æterna pollet, & perpetuò vivit vigétque: neque ea eſt quæ cujuſquam ratione de recto deflectat, ac non eadem ſit omnibus: ſed ab omni iniquitate & pravitate aliena, æquum facit, ejúſque facta probant omnes, nec ineſt in ejus judicio quicquam iniquum. Cæterùm & ab hac, & à regia magnificentia, & à potentia, & à majeſtate ſeculorum omnium, laudetur Deus veritatis. O. Maxima veritas eſt, maximámque vim habet. D. Viciſti: pete quidvis, etiam præter ea quæ ſcripta ſunt: nos id tibi dabimus, quoniam doctiſſimus inventus es; & à me proximus ſedebis, meúſque familiaris vocabere. Z. Memento voti tui, quo te Hieroſolymam inſtauraturum pollicitus es, tum cùm regnum aſſecutus es, omniáque vaſa Hieroſolymis exportata, eò remiſſurum, quæ ſepoſuit Cyrus, cùm de Babylone excindenda votum fecit, eáque ſe illò miſſurum promiſit. Et tu recepiſti te inſtauraturum fanum quod igni cremârant Idumæi, tum cùm à

Chaldæis pervaſtata Judæa eſt. Et nunc hoc eſt quod à te poſtulo, rex domine, atque flagito: hæc eſt magnificentia, quam à te expecto. Oro igitur ut votum præſtes, quod cœli regi tuo ipſius ore nuncupâſti. D. *Laudo te, & bene mones: faciam.*

Sent. Honeſta eſt de virtute contentio. Utinam inter ſeſe ſic certarent hodie ſtipatores principum! Utinam & principes bona veráq; dicta ſic & judicarent & remunerarentur! Sed fuit illud ſeculum argenteum; noſtrum eſt ferreum. Certè rara ſunt hodie in aulis hujuſmodi certamina. Omnia vincit veritas.

DIALOGORUM SACRORUM LIBER QUARTUS.

MARIA. Lucæ 1.

ARGUMENTUM.

Gabriel genius Mariæ nuntiat, edituram filium Dei; quærentíque modum demonſtrat id fore à Spiritu ſancto. Illa credens aſſentitur.

Gabriel, Maria.

S*Alve ornatiſſima, Domino conjunctiſſima, mulierum feliciſſima. Quid metuis, Maria? Bono es animo; nam accepta es Deo. En ego tibi renuntio, te iſto utero conceptum parituram natum, quem JESUM nomine vocabis. Is erit maximus, & filius ſummi parentis cenſebitur, eúmque donabit rerum omnium præpotens Deus ſolio Davidis, autoris generis ejus. Itaque poſteris Jacobi regnabit in æternum, nec ullus erit ejus regni finis.* M. *Quomodo fiet iſtud, cùm ego viri notitiam non habeam?* G. *Spiritus ſanctus ſeſe in te inſinuabit, téque Dei Opt. Max. vis gravidabit. Itaque ſanctiſſimus iſte fœtus, ut erit, ità etiam dicetur Dei filius. Elizabetha quoque (quò magìs credas) tua cognata*

jam ſenex concepit filium, & nunc ſextum jam menſem fert uterum; & tamen inter ſteriles habebatur. Uſquè adeò nulla res eſt quam Deus non poſſit. M. *Ecce me Domini ſervam! Eveniat mihi prout tu dixiſti.*

Sent. Deo nihil eſt arduum. Promittenti Deo credendum eſt, etiamſi quid naturæ contrarium promittat. Neque enim naturæ obnoxius eſt autor ipſe naturæ.

BAPTISTA. Matth. 3. *Mar.* 1. *Luc.* 3.

ARGUMENTUM.

Joannes Baptiſta populum docet vitæ correctionem, & de Chriſto vaticinatur.

Joannes Baptiſta, Plebs, Publicani, Milites.

P*Rogenies viperina, quis vos ſummonuit futuram pœnam fugere? Edite ergò vitæ melioris indices fructus; & nè ideo magnos vobis ſpiritus & arrogantiam ſumite, quòd patrem habetis Abrahamum. Dico enim vobis, Deum poſſe ex his ſaxis ſuſcitare liberos Abrahamo. Jam verò ſecuris arborum radici admota eſt, omniſque arbor fructum bonum non edens, excindenda eſt, & in ignem injicienda.* Pl. *Quid ergò faciemus?* J. *Qui habet duas veſtes, impertiat non habenti: & qui habet cibaria, idem faciat.* Pu. *Nobis autem, magiſter, quid faciendum eſt?* J. *Nihil amplius, quàm quantum vobis decretum eſt, exigite.* M. *Quid etiam nobis?* J. *Nè quem pulſate, aut per ſycophantiam circumvenite, & ſtipendiis veſtris eſte contenti. Sed audite univerſi. Ego quidem abluo vos aquâ ad vitæ emendationem. Sed me præſtantior me ſubſequitur: & ità præſtantior, ut ego non ſim dignus qui ejus calceorum ſolvam corrigiam. Is vos abluet ſacro Spiritu & igne: qui quidem vannum manu tenet, aream ſuam*

perpurgaturus, frumentúmque in horreum comportaturus, & paleam igni crematurus inextincto.

Sent. Bona arbor bonos fructus edit. Abſtinendum ab injuſtitia, ſi pœnas vitare velis.

NATHANAEL. Joan. 1.

ARGUMENTUM.

Nathanael à Philippo monitus, venit ad Jeſum, & in eum credit.

Philippus, Nathanael, Jeſus.

DE *quo ſcripſit Moſes in noſtra diſciplina, & vates, eum reperimus: Jeſum dico, filium Joſephi, à Nazaretha.* N. *A Nazaretha poteſt aliquid bonum exiſtere?* P. *Proviſe mecum.* J. *Video huc venire verè Iſraëlitam; id eſt, hominem ab omni fraude alienum.* N. *Unde me nôſti?* J. *Priuſquam te Philippus appellaret, cùm eſſes ſub ficu, videbam te.* N. *Magiſter, tu es filius Dei, tu es rex Iſraëlitarum.* J. *Quoniam dixi tibi, te à me ſub ficu eſſe viſum, ideo credis? majora his videbis. Credite mihi, poſthac videbitis cœlum apertum, & genios divinos aſcendentes & deſcendentes ad me.*

Sent. Unde minimè ſperes, indè exiſtit bonum. Adeundus eſt Chriſtus, ut eum cognoſcas. A minoribus, ſi credas, ad majora venies.

NICODEMUS. Joan. 3.

ARGUMENTUM.

Jeſus diſſerit cum Nicodemo de renaſcendo.

Nicodemus, Jeſus.

MAgiſter, *ſcimus te doctorem veniſſe divinitus: nam nemo iſta tam portentoſa facere poſſit, quæ tu facis, niſi adſit ei Deus.* J. *Accipe igitur doctrinam eo dignam, qui venerit à Deo. Qui denuo natus*

non fuerit, mihi crede, Dei regnum adipiſci non poteſt. N. *Quo pacto poteſt homo naſci, qui ſit ſenex? Nunquid poteſt iterum in ventrem ſuæ matris ingredi, atque naſci?* J. *Cùm de Dei regno, quod divinum eſt, locutus ſim, debes exiſtimare, hanc quoque generationem, de qua loquor, per quam ad illud regnum perveniatur, eſſe divinam. Proinde omitte iſtam à muliere nativitatem. Nam ſi quis à muliere renaſceretur, talis eſſet renatus, qualis fuiſſet antequam renatus: id eſt, eſſet adhuc terreſtris & humanus; propterea quòd ex re terreſtri & mortali quod naſcitur (cujuſmodi eſt mulier) id terreſtre & mortale eſt; quandoquidem quæque res ſui ſimilem gignit. At ex Spiritu qui fuerit renatus, is divinâ quadam & Spiritui conveniente naturâ præditus erit; quoniam quod à Spiritu gignitur, id ejus ſimile eſt à quo originem habet, videlicet Spiritûs. Neque verò mireris, quòd dixerim, vobis eſſe renaſcendum: quamvis hanc nativitatem non videas. Nam quod accidit in vento, cujus quamlibet in partem ſpirantis ſonitum audis, neque tamen oculis cernis unde veniat, aut quò feratur; idem fit & in omnibus ex Spiritu genitis, ut hæc generatio ſentiri & intelligi poſſit, oculis aſpici non poſſit.* N. *Quomodo poſſunt iſta fieri?* J. *Tu Iſraëlitarum magiſter es, & hæc neſcis? Atqui hoc tibi confirmo, nos non ignota, aut tantùm audita dicere, ſed perſpecta & viſa teſtari: & tamen teſtimonium noſtrum vos non accipitis. Quòd ſi terreſtria, quæ vobis dixi, non creditis: quomodo cœleſtia, ſi dixero, credetis? Si hanc ſimilitudinem, quam ego duxi à vento (quæ res terreſtris eſt, & ſubjecta ſenſibus) non capis, idcóque non credis: quomodo intelliges rem ipſam, cujus declarandæ causâ ſimilitudi-*

ſimilitudine uſus ſum, quæ res cœleſtis divináque eſt, neque ſub ſenſus cadit? Atqui hæc niſi à me didiceritis, à quo diſcatis nullus eſt: neque enim poteſtis in cœlum aſcendere, & ea à Deo diſcere. Nam in cœlum nemo aſcendit præter eum hominem qui de cœlo deſcendit, qui quidem eſt in cœlo. Is autem ego ſum: à quo niſi hæc didiceritis, deſperanda vobis cognitio eſt. Quocirca attende, quale ſit hoc renaſci, de quo loquor. Quemadmodum Moſes ſerpentem illum æneum extulit in deſertis, in quem ſerpentem intuentes, à ſerpentum morſu ſanarentur: ità me oportet extolli, ut omnes in me intuentes, à me pendentes, mihíque fidentes, non pereant, ſed vitam adipiſcantur æternam. Hæc eſt igitur renaſcendi conditio ſuperiùs à me propoſita, ſine qua negavi quenquam poſſe regnum cœleſte conſequi. Nam qui mihi fidem habent, ità immutantur, tantóque meliores fiunt, ut planè renati dici poſſint, & cœleſti regno digni ſint. Etenim tanto genus humanum proſecutus eſt amore Deus, ut unigenitum filium ſuum tradiderit: cui quicunque fidem habeat, non pereat, ſed ad vitam perveniat æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in hanc vitam, ut homines condemnet, ſed ut per eum ſerventur homines. Qui ei fidem habet, non damnatur: qui verò non habet, is jam damnatus eſt, quòd unigeniti Dei filii nomini fidem non adjunxerit. In hoc autem damnantur homines, quòd, cùm venerit in orbem lux, tenebras magìs quàm lucem ament; quippe quorum prava ſint opera. Siquidem quiſquis vitioſa facit, lucem odit, neque in lucem prodit, nè ejus facta arguantur. Qui verò recta facit, is in lucem prodit, ut pateſiant ejus opera, utpote facta divinitus.

Sent.

Sent. Renaſcendum eſt,& ex carne in ſpiritum migrandum. Ut enim terreſtria, quæ gravia ſunt,in cœlum aſcendere,aut in cœlo eſſe non poſſunt:ità injuſtitia,quæ res terreſtris & gravis eſt, in regnum Dei venire , aut ibi eſſe nequit. A ſolo Chriſto ſalus eſt.

SAMARITANA. *Joan.* 4.

ARGUMENTUM.

Jeſus apud fontem cum muliere Samaritana de vera potione veróque Dei cultu colloquitur. Cúmque ſupervenisſent emptum cibum apportantes diſcipuli , eos quoque de vero cibo docet.

Jeſus, Samaritana, Diſcipuli.

D*A mihi bibere, mulier.* S. *Quomodo tu Judæus à me muliere Samaritana petis potum? Neque enim habent ullum Judæi cum Samaritanis commercium.* J. *Si intelligeres munus Dei , & quis ſit qui à te potum petit, tu ipſa peteres ab eo ; tibiq; ipſe daret aquam perennem.* S. *Domine, neque ſitulam habes, & puteus eſt profundus : unde ergò habes iſtam aquam perennem? Num tu major es patre noſtro Jacobo, qui tradidit nobis hunc puteum : quâ aquatione uſus eſt ipſe, & filii ejus, atque pecora?* J. *Hæc aqua ſitim ad tempus tantùm explet, mea autem ad perpetuitatem; ità ut qui ex aqua à me accepta biberit , non ſitiat unquam: nam ea aqua fiet in eo fons ſcatens in omnem perennitatem.* S. *Domine , imperti me iſtâ aquâ , nè ampliùs ſitiam , néve huc ad hauriendum veniam.* J. *Ievocatum virum tuum, & huc cum eo venito.* S. *Non habeo virum.* J. *Rectè ais, te non habere virum. Quinque enim viros habuiſti : nunc quem habes, non eſt tuus vir. Iſtud verum dixiſti.* S. *Video te eſſe vatem ; itaque non committam ut tibi fruſtra incidiſſe videar. Majores noſtri in monte hoc Deum coluerunt. Atqui vos con-*

contenditis, Hieroſolymis eſſe colendum. Quid tu cenſes? J. *Mulier, crede mihi, veniet tempus, cùm neque in monte hoc, neque Hieroſolymis coletis Patrem. Vos, quid colatis, neſcitis: nos, quid colamus, ſcimus: quippe quia ſalus à Judæis eſt. Sed veniet tempus, & quidem jam eſt, cùm veri cultores Patrem animo & verè colent. Etenim à talibus ſe Pater coli poſtulat. Animus eſt Deus: & qui eum colunt, animo & verè debent colere.* S. *Scio venturum eſſe Meſſiam: Is cùm venerit, rem omnem nobis planam faciet.* J. *Ego ſum ille, qui tecum loquor.* D. *Video magiſtrum ad puteum ſedentem, & colloquentem cum quadam muliere.* Al. *Mirum eſt, ſolum cum ſola. Sed ſcit ipſe cur id faciat.* S. *O fauſtum diem! Sed ego quid cunctor ire in urbem, ut meos tam bono nuntio afficiam?* D. *Comparavimus cibum, magiſter; veſcere.* J. *Ego cibum habeo comedendum, quem vos neſcitis.* D. *Nunquis, abſentibus nobis, attulit ei quod edat?* J. *Mihi paſtus eſt, id facere quod vult is qui me miſit, ejúſque opus abſolvere. Vos quidem dicitis, abhinc quatuor menſes futuram meſſem: At ego ſic; Erigite oculos, & videte agros, ut jam ad meſſem flaveant. Et meſſor præmium aufert, & ſator fructum condit ad victum perpetuum; ut ſatoris ſimul & meſſoris commodo cautum ſit. In quo ſanè dictum illud comprobatur, quod ait,* Alium ſerere, alium metere. *Ego vos miſi ad metendum, in quo vos colendo non laborâſtis. Alii laborârunt, vos in eorum laborem invaſiſtis.*

Sent. Chriſtus venit ad docendum ſervandúmque ſontes. Chriſtus æternum vivificúmque cibum potionémque dat. Deus animo & verè adorandus eſt, nullo locorum diſcrimine. Dei voluntatem exequi, cibus eſſe debet homini Chriſtiano.

CENTVRIO. *Matt.* 8.

ARGUMENTUM.

Jeſus à centurione exoratus, ejus puerum, membris captum, verbo ſanat.

Centurio, Jeſus.

DOmine, puer meus jacet domi membris captus, graviterque cruciatur. J. *Ego ibo eum curatum.* C. *At ego non ſum dignus, cujus tu tectum ſubeas: ſed tantùm jube verbo; & ſanabitur. Nam ego quoque, qui ſub alterius ſum poteſtate, tamen obtineo autoritatem in eos, quibus præſum, milites: ac ſi quem jubeo ire, it; ſi venire, venit; ſi ſervum facere quid, facit.* J. *O rem admiratione digniſſimam! Credite mihi, nè in Iſraëlitis quidem tantam fiduciam invêni. Et ſine dubio multi ab oriente atque occidente profecti, accumbent cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, in regno cœleſti: cùm interea ii ad quos regnum pertinebat, in alta noctis caligine demerſi, nihil aliud quàm flebunt & frendebunt. Tu abi, &, ut confidiſti, ſic obtineto.*

Sent. Chriſtus tam facilè morbis imperat, quàm dux militibus. Primi erunt ultimi, & ultimi primi.

PISCATORES. *Luc.* 5.

ARGUMENTUM.

Petrus, jacto reti juſſu Jeſu, plurimos piſces capit.

Jeſus, Petrus.

SUbduc in altum oriam, Petre, ut retia laxetis ad prædam. P. *Præceptor, totam noctem laborantes, nihil cepimus: ſed tamen, poſtquam ità jubes, demergam rete. O rem miram! Adeſte ſocii, adjuvate nos. Rumpitur rete: ità multis piſcibus eſt plenum. Corripe tu iſtas plagas altrinſecus, vos vos invergite in naviculam. Deſinite, deſinite, ſuſtinete rete: jam hæc ple-*

na eſt, infundamus in alteram. O rem inauditam! penè ſubmerguntur cymbæ præ piſcium multitudine. Quæſo te, Domine, abi à me: nam homo nocens ſum. J. *Nè metue; deinceps jam homines piſcaberis.*

Sent. Abſque Chriſto piſcari, hoc eſt, homines docere, operam ludere eſt. Chriſto auſpice, felix eſt piſcatura.

SIMON. Luc. 7.

ARGUMENTUM.

Jeſus miranti cum animo ſuo Simoni, apud quem ipſe cibum capiebat, cur ſe pateretur ab impudica muliere attrectari, cauſam reddit.

Simon, Jeſus.

JAmdudum ſpecto mulierem iſtam, quæ meum hunc hoſpitem tam molliter curat. Qui ſi vates eſſet, intelligeret utique, quæ & qualis ſit mulier, quæ ipſum attrectat; nam proſtitutâ pudicitiâ eſt. J. *Simon, paucis te volo.* S. *Dicas licet, magiſter.* J. *Duos debitores habebat quidam creditor, quorum alter quingentos, alter quinquaginta debebat denarios: ii cùm non eſſent ſolvendo, utrique condonavit. Dic, uter eum plùs amare debeat.* S. *Opinor, cui plus condonavit.* J. *Rectè judicas. Vides hanc mulierem? Cùm introiviſſem domum tuam, nè aquam quidem ad lavandos pedes meos dediſti: ea & lacrymis eos perfudit, & ſui capitis capillo exterſit. Tu mihi oſculum non dediſti: ea, poſtquam ſum ingreſſus, non deſtitit mihi pedes deoſculari. Tu nec oleo mihi caput unxiſti: ea unguento etiam mihi pedes perunxit. Qua de cauſa ſic habeto, ei multa remitti peccata, quoniam multùm amavit. Cui autem minus remittitur, minùs amat. Remittuntur tibi peccata, mulier; tua te fiducia ſervavit: abi cum bona pace.*

Sent.

Sent. A ſiniſtris ſuſpicionibus abſtinendum. Ex conjectura judicare, temerarium eſt. Magno beneficio magnus amor conciliatur.

JAIRUS. *Mar.* 5 *Luc.* 8.

ARGUMENTUM.

Jeſus à Jairo exoratus, ejus filiam it ſanatum; & inter eundum mulierem profluvio ſanguinis laborantem ſanat. Deinde, ubi Jairi domum venit, ejus filiam, quæ interea deceſſerat, revocat in vitam.

Jairus, Jeſus, Mulier, Petrus, Nuntius.

EST mihi unica filiola, optime Jeſu, duodecimum annum agens, quæ nunc domi deſperato morbo laborat. Obſecro te, & obteſtor etiam atque etiam, ut domum venias, eique manus imponas, ut reviviſcat & revaleſcat. Je. *Faciam veró: eamus.* M. *Salva ſum, ſi poſſum vel extremam ejus oram veſtis attingere. Conabor, nec me hæc hominum turba impediet, quò minùs ad eum accedam.* Je. *Quiſnam tetigit mea veſtimenta?* P. *Tu vides quanta te hominum multitudo circumſiſtat & comprimat, & rogas quis te tetigerit?* Je. *Certè tetigit me aliquis: nam ſenſi vim quandam exire à me.* M. *Perii miſera: non latui eum. Obſecro te, ignoſce mihi: ego ſum illa.* Je. *Narra mihi rem omnem, ut ſeſe habet.* M. *Ego miſera jam duodecim annos languebam profluvio ſanguinis: cùm interea toto illo tempore multis adhibitis medicis, & omnem rem inſumpſiſſem, neque quicquam profeciſſem, ſed indies deteriùs haberem: jámque ab omnibus medicis eram deſperata. Cùm autem tuorum factorum admirabilitatem famâ atque auditione accepiſſem, acceſſi ipſa, ſic mecum cogitans; O me felicem, ſi vel limbum ejus togæ liceat tangere! Hoc animo per mediam turbam acceſſi propiùs,*

pius, nec me ſpes fefellit : nam ſimulatque te tetigi, ſenſi vim omnem morbi fugatam eſſe, & omnem ſanguinis fluxionem conſtitiſſe. Je. *Bono animo es, filia; tua te fiducia ſervavit : abi cum bona pace, ex tuo malo ſana.* N. *Tua filia mortua eſt, Jaire; quid jam moleſtus es magiſtro?* Je. *Nè metue, Jaire; tantùm confide, & evadet. Sed quem ego domi ſtrepitum audio? introeamus. Eho! Quid tantopere fletis? quid ejulatis? Pax ſit rebus. Non eſt mortua puella, ſed dormit. Vos exite foras omnes : Petre, Jacobe, Joannes, & vos puellæ parentes, manete intus. Videbitis quanta ſit Dei potentia. Cedo mihi iſtam puellæ manum. Puella, ſurge.* Ja. *Bone Deus, quàm mirificus es! O mea filiola, videóne ego te renatam?* Je. *Videte diligenter nè quis hoc reſciſcat; & puellæ cibum præbete.*

Sent. Plus poteſt vel limbus veſtis Chriſti, quàm univerſa hominum ſcientia. Quæ aliis inſanabilia, Chriſto ſunt faciliima.

PHILIPPUS. Matt. 14 Mar. 6. Luc. 9 Joan. 6.

ARGUMENTUM.

Jeſus quinque panibus & duobus piſcibus quinque virorum millia ſatiat.

Diſcipuli, Jeſus, Philippus, Andreas.

V*Ides quæ te circumſtet hominum multitudo in tam vaſta ſolitudine; & jam dies multùm inclinavit: Itaque cenſemus ut eos dimittas, ut in finitima rura, & vicos divertant, & ſibi cibaria comparent. Hîc enim, quod edant, non habent.* J. *Nihil opus eſt ut abeant. Præbete vos eis cibum.* D. *At non ſatis nobis ſuppetit, unde tantum hominum numerum paſcamus, (ſunt enim, quantum licet conjicere, plus minus quinquies mille viri, ut mulieres & parvulos omittamus) niſi fortè eamus*

emptum

emptum panes. J. *Unde autem ememus ad tam multos, Philippe?* P. *Equidem non video: nam ducentis denariis vix tantum emi poſſit, ut indè ad ſingulos minimum quantum perveniat.* J. *Quot habetis? Videte.* A. *Adeſt hîc puer, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; præterea nihil eſt. Sed hæc quantula ſunt ad tam multos!* J. *Afferte huc modò. Jubete omnes in viridi gramine diſcumbere catervatim, centenos & quinquagenos. Cedo mihi iſtos panes. Nunc Pater cœleſtis, qui pro tua benignitate paſcis omnia, neque in multis paſcendis tenuior, neque in paucis copioſior es, qui nullâ lege rerum tenêris, à quo omnium natura pendet; effice, rogo, his tantulis cibariis multiplicandis, ut hæc hominum multitudo admirabiliter ſaturata, tuam inexhauſtam liberalitatem recognoſcat. Agitè diſcipuli, diſtribuite hos cibos in omnes: ſatìs ſupérque erit, unde ad ſatietatem comedant.*

Sent. Chriſti cibus eſt inexhauſtus. Plus habet Chriſtus, quàm egent homines.

PANIS. Joan. 6.

ARGUMENTUM.

Jeſus de vivifico pane, hoc eſt, de ſeipſo, diſſerit apud Judæos.

Judæi, Jeſus, Diſcipuli, Petrus.

M*Agiſter, quando huc veniſti?* Je. *Vos profectò me quæritis, non quia miracula vidiſtis, ſed quia pane ſatiati eſtis. Procurate cibum non interiturum, ſed in omnem perennitatem permanſurum; quem quidem ego vobis dabo. Nam me Pater comprobavit Deus.* Ju. *Quid agemus, ut divina opera faciamus?* Je. *Hoc eſt divinum opus, ut fidem habeatis ei quem miſit Deus.* Ju. *Quod ergò tui ſpecimen das, ut, eo viſo, tibi credamus?*

Quid

Quid tale facis, quale fecit olim Moſes? Quo duce majores noſtri mannâ vixerunt in ſolitudine; quemadmodum literis proditum eſt, Panem de cœlo dedit eis comedendum. Je. *Non Moſes (mihi credite) panem vobis de cœlo dedit: ſed meus Pater verum vobis de cœlo panem dat. Nam Dei panis eſt, qui de cœlo deſcendit, & vitam dat hominum generi.* Ju. *Domine, da nobis perpetuò panem iſtum.* Je. *Ego ſum panis vitalis. Qui venit ad me, non eſuriet: & qui mihi fidem habet, non ſitiet unquam. Sed hoc vobis dico, Et vidiſtis me, neque fidem habetis. Quicquid mihi dat Pater, ad me veniet: & venientes ad me non ejicio foras. Deſcendi enim de cœlo, non ut meæ, ſed ut ejus, qui me miſit voluntati paream. Hæc eſt autem ejus, qui me miſit Patris voluntas, ut ex eo omni quod mihi commiſit nihil perdam, ſed id ultimo die exuſcitem. Hæc eſt autem ejus qui me miſit voluntas, ut quiſquis Filium aſpicit, eíque credit, is vitam æternam adipiſcatur, & à me ultimo die in vitam revocetur.* Ju. *Nónne hic eſt Jeſus Joſephi filius, cujus nos patrem matrémque novimus? Quo pacto igitur ait ſe de cœlo deſcendiſſe?* Je. *Nè muſſitate inter vos. Nemo poteſt ad me venire, niſi Patre, qui me miſit, trahente eum, à me ultimo die in vitam revocandum. Scriptum eſt in vatibus,* Omnes fore divinitus doctos. *Quiſquis ergò ex Patre audivit & didicit, is ad me venit: non quia Patrem quiſquam viderit, niſi qui eſt à Deo, is Patrem vidit. Credite mihi, qui mihi fidit, is vitam habet æternam. Ego ſum panis vitalis. Mannâ uſi ſunt majores veſtri in deſertis, & tamen mortui ſunt. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, ejuſmodi, ut qui eo veſcatur, non ſit moriturus. Ego ſum panis vivus, qui de*

cœlo deſcendit : quo pane qui veſcetur , vivet in perpetuum. Panis autem quem ego dabo, caro mea eſt , quam pro humani generis vita dabo. Ju. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare comedendam ?* Je. *Hoc vobis confirmo, niſi & carnem meam comederitis, & ſanguinem meum biberitis , non habetis vitam in vobis. Qui comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem , habet vitam æternam , & ego eum in vitam revocabo ultimo die. Caro enim mea verè eſt cibus , & ſanguis meus verè eſt potus. Qui meâ carne veſcitur , meúmque ſanguinem bibit , is in me manet , & ego in eo. Quemadmodum vivit Pater qui me miſit : ità & ego per Patrem vivo ; & qui me comedit, is quoque per me vivit. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit: cujus longè alia vis eſt, quàm mannæ quâ uſi majores veſtri, tamen mortui ſunt. Hoc pane qui veſcitur , vivet in ſempiternum.* D. *Dura vox : quis eam audire poſſit?* Je. *Ergò hoc vobis abſurdum videtur ? Quid ſi me videatis eò aſcendentem , ubi eram antea ? Nónne multò vobis abſurdius videbitur, ut qui in cœlum aſcenderit, is in terris comedatur ? Non ſunt mea dicta ità accipienda, ut dicam ipſam carnem meam comedi. Nam caro quidem nihil juvat : ſed eſt divina quædam comedendi ratio , quâ vita æterna comparatur ; de qua ratione verba facio. Nam quemadmodum qui panem comedit , is per panem vivit : ità qui per me vivit (id quod mihi credendo , & à me pendendo efficitur) is me comedere dicitur. Sed ſunt quidam ex vobis qui fidem non habent. Hanc ob cauſam , dixi vobis neminem poſſe ad me venire, niſi hoc ei datum fuerit à Patre meo. Jam verò multi à me propterea diſcedunt. Quid vos? Num*

etiam vultis diſcedere? P. *Domine, quem adeamus? Tu verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & novimus, te eſſe Chriſtum Dei viventis Filium.* Je. *Equidem vos duodecim elegi, ſed veſtrûm unus diabolus eſt.*

Sent. Animæ cibus magìs eſt procurandus quàm corporis. Ut pane corpus, ſic veritate (qui Chriſtus eſt) anima paſcitur.

PRÆPOSTERI. *Matt.* 15. *Mar.* 7.

ARGUMENTUM.

Jeſus à Phariſæis & Scribis de diſcipulorum ſuorum illotis manibus reprehenſus, in illos reprehenſionẽ retorquet, demõſtrátque peccatum non extrá, ſed intus eſſe in animo.

Phariſæi & Scribæ, Jeſus, Diſcipuli, Petrus.

C*Ur faciant diſcipuli tui contra inſtitutum antiquorum, ut cibum capiant illotis manibus?* J. *Cur & vos contra præceptum Dei facitis inſtituto veſtro? Deus enim (ut ait Moſes) parentem utrumque coli præcepit: & ſi quis patri matríve maledixerit, eum morte mulctari. At vos ità homines inſtituitis, ut parentibus demonſtrent, donaria à ſe in fiſcum templi collata, in ipſorum parentum utilitatem eſſe ceſſura. Ità eſtis in cauſa, ut nihil ad illam honoris ſpeciem addant, dum ſe ſatìs parentibus facere arbitrantur, ſi in templum donaria conferant: quamvìs parentibus non, ut debent, ſubveniant; quo veſtro inſtituto Dei præceptum reſcidiſtis. Multa ſunt ejuſdem generis alia, in quibus dum hominum inſtituta teneatis, Dei præcepta omittitis: lotiones urceorum, & poculorum, & cætera ejuſmodi. Ficti homines, rectè vaticinatus eſt de vobis Eſaias, ubi ità dicit;* Hic populus ad me ore accedit, & me labiis colit: ſed animo procul à me abſunt. *Verùm fruſtra me ex inſtitutis præceptiſque hominum venerantur. Sed attendite omnis multitudo, & intelli-*

intelligite. Non quod intrat per os, coinquinat hominem: ſed quod exit per os, hoc verò coinquinat hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. D. *Ecquid ſcis, Phariſæos iſtos tuo dicto eſſe offenſos?* J. *Omnis ſtirps à Patre meo cœleſti non plantata, extirpabitur. Sinite eos: duces ſunt cæci cæcorum. Quòd ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadent.* P. *Ediſſere nobis ſententiam iſtam.* J. *Adeóne etiam vos tardi eſtis? Aut nondum intelligitis, nihil quod extrinſecus in hominem intrat, poſſe eum coinquinare? Non enim in cor penetrat, ſed in ventrem fertur, & in latrinam per excrementa ciborum ejicitur. Sed quæ ex homine per os exeunt, ea ex corde proficiſcentia, coinquinant hominem. Hinc naſcuntur malevolentiæ, hinc adulteria, hinc ſtupra, cædes, furta, falſa teſtimonia, ſordes, malitiæ, dolus, protervitas, invidentia, maledicta, ſuperbia, ſtultitia. Hæc tam multa intrinſecus manantia, polluunt hominem. At illotis manibus cibum capere, non polluit hominem.*

Sent. Ficti homines ſpeciem pietatis habent; ejuſdem vim repudiant. Quò quiſque plus tribuit rebus exterioribus, eò minus habet interiorum. Tantò minoris quiſque facit ſpeciem, quantò plus habet rei.

CHANANÆA. Matt. 15. Mar. 7.

ARGUMENTUM.

Jeſus à Chananæa exoratus, ejus filiam liberat à Furia.

Chananæa, Diſcipuli, Jeſus.

M*Iſerere mei, ô tu Davidide: filiam habeo, quæ Furiis miſerè agitur. Heu me infelicem! ne reſpondere quidem dignatur. Obſecro te etiam atque etiam, miſerere mei, reſpice me, utere tuâ in me clementiâ & manſuetudine.* D. *Abſolve eam, quæſumus:*

clamore nos obtundit. J. *Non ſum miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraëlis.* C. *Domine, ſubveni mihi.* J. *Sine primùm ſaturari liberos. Neque enim convenit liberorum panem objicere catellis.* C. *Etiam ſané: & tamen catelli quoq; comedunt de micis liberorum, quæ decidunt de menſa dominorum ſuorum.* J. *O mulier, magna eſt tua fides. Obtineto ſanè quodvis; et propter iſtud dictum abi læta: nam Furia emigravit è tua filia.*

Sent. Chriſtus exorabilis eſt etiam iis quos maximè videtur excludere. Fide Chriſtus expugnatur.

FERMENTUM. *Mat.* 16. *Mar.* 8.

ARGUMENTUM.

Jeſus diſcipulorum diffidentiam & tarditatem arguit qui, quod ipſe de fermento ſpirituali dixerat, intelligebant de carnali.

Jeſus, Diſcipuli.

C*Avete vobis diligenter à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, tum etiam Herodis.* D. *Hoc dicit, quia panes non accepimus.* J. *Quid vobiſcum cogitatis, diffidentes panes à vobis eſſe omiſſos? Adeóne cæci animo eſtis? Adeóne ſenſum omnem amiſiſtis, ut nihil intelligatis, neque vobis veniat in mentem illorum quinque panum, quos in quinque hominum millia diſpertivi? Quot enim corbes fruſtis refertas abſtuliſtis?* D. *Duodecim.* J. *Quid, cùm ſeptem panes in quatuor millia diſſecui, quot fruſtorum caniſtra abſtuliſtis?* D. *Septem.* J. *Quî fit, ut non intelligatis, me non de pane loqui, cùm jubeo vitari fermentum Phariſæorum & Sadducæorum?*

Sent. Dicta Chriſti ſpiritualia interdum ſecundum carnem interpretantur etiam Chriſtiani. Hominem è carne ad ſpiritum traducere, eſt difficile. Diffidentia ex homine, quamvìs pio, ægrè pellitur.

CLAVIGER.

CLAVIGER. *Matt.* 16. *Mar.* 8. *Luc* 9

ARGUMENTUM.

Jeſus diſcipulos ſciſcitatus quænam eſſet hominum de ſe fama,& auditâ Petri confeſſione , ei claves regni cœli promittit:deinde ejus carnalem in cruce deprecanda animum objurgat,& de hominis abnegatione docet.

Jeſus, Diſcipuli, Petrus.

QVem me dicunt homines eſſe? D. *Alii Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Jeremiam, alii aliquem ex veteribus vatibus, qui in vitam redierit.* J. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* P. *Chriſtum, Dei viventis filium.* J. *Beatus es Simon Bar-Jona: quoniam iſtud à carne & ſanguine edoctus non es; ſed à Patre meo qui eſt in cœlis. Et ego tibi viciſſim dico, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, quam nè univerſæ quidem orci vires ſuperabunt: tibique dabo claves regni cœleſtis; ac quicquid obſtrinxeris in terra, erit obſtrictum in cœlis; & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis. Cæterùm etiam atque etiam cavete, nè cuiquam indicetis me eſſe Chriſtum. Me quidem oportet Hieroſolymam proficiſci, omnéſque à ſenioribus & pontificibus & ſcribis contumelias & indignitates perpeſſum, interfici, tertióque pòſt die reſurgere.* P. *Reſpice te, Domine: nunquam iſtud tibi accidet.* J. *Abi è meo conſpectu, Satana: impedimento mihi es, quòd divina non ſapis, ſed humana. Quòd ſi quis me vult ſequi, renuntiet ſibiipſi, & me, crucem ferens quotidianam, ſubſequatur. Nam qui volet vitam ſuam ſervare, eam perdet: qui verò vitam perdiderit meâ causâ & evangelii, eam ſervabit. Quid enim prodeſt, quenquam etiam totum mundum lucrari, ſi vitæ ſuæ jacturam faciat? Aut quid habet quiſquam, quod*

cum vita ſua compenſare poſſit? Etenim quem mei, meorúmq; dictorum, in hoc adulterino ſceleratóque hominum genere pœnituerit; ejus me viciſſim pœnitebit, cùm & meo & paterno ſplendore conſpicuus veniam unà cum ſanctis & divinis geniis. Nam venturus ſum, & pro ſuis quemque factis remuneraturus. Quin etiam hoc vobis confirmo, quoſdam eſſe ex hoc conventu, qui non ſint obituri mortem, quin me regni divini præpotentem veniſſe viderint.

Sent. Chriſti cognitio ab homine non proficiſcitur. Sequendus Chriſtus eſt, iſque omnibus præferendus.

*LUNATICUS. Matt.*17.*Mar.* 9.

ARGUMENTUM.

Jeſus lunaticum, quem ejus diſcipuli ſanare non potuerant, ſanat, ab eius patre exoratus.

Pater lunatici, Jeſus, Dæmon, Quidam, Alius.

M*Agiſter, oro te ut me, meúmque unicum filium, quem tibi hîc adduco, reſpicias. Agitatur neſcio quo furiali ſpiritu muto: credo eum Dianæ incitatione ità miſerè infeſtari. Nam cùm ſubitò eum mala illa peſtis corripit, tum verò admotis dolorum facibus repentè divexatur, & cruciatibus fodicantibus horribiles gemitus & dentium ſtridores edens, ſpumas agit in ore: & vix tandem ſævis cruciamentis perfractus, à tam immanium Furiarum vinculis laxatur. Eum deduxi ad tuos diſcipulos, & oravi ut eum à tanto malo liberarent: ſed non potuerunt.* J. *O diffidens hominum genus & pravum! quouſq; verſabor inter vos? Quem ad finem vos perferam? Huc mihi adducatur.* P. *Ecce eum tibi! Hei mihi! vide ſis ut repentè, te viſo, concidit: vide ut ſpumans volutatur.* J. *Quàm pridem hoc ei evenire cœpit?* P. *Jam à puero: ac ſæpe in ignem, ſæpe in aquam*

præceps

præceps ruit, ut dicas eum in mortem ferri. Sed tu, ſi quid potes, opitulare nobis, noſtrî miſertus. J. *Si potes credere, nihil eſt quod credenti fieri non poſſit.* P. *Credo equidem, Domine: ſed tu adjuva fidem meam.* J. *Spiritus mute & ſurde, ego tibi impero ut iſthinc emigres, remigraturus nunquam.* D. *Brunn.* Q. *Ut convulſus eſt! Ut mortuo ſimilis!* A. *Imò ego puto planè mortuum, ità nihil omnino movetur.* J. *Cedo mihi iſtam manum, ſurge: eſt incolumis. Trado tibi filium tuum omni morbo vacuum.*

Sent. Hominis imbecillitas diffidentiæ argumentum eſt. Fides eſt omnipotens. Chriſtus etiam infimæ fidei opitulatur.

LAPIDANTES. *Joan.* 8.

ARGUMENTUM.

Jeſus de ſeipſo cum Judæis diſſerit, eorum vanam ob Abrahamicam ſtirpem arrogantiam retundit, veram libertatem docet, & lapidationem ab eis effugit.

Jeſus, Pharisæi, Judæi.

E*Go ſum lux mundi. Qui me ſequitur, non ingredietur in tenebris, ſed utetur luce vitæ.* P. *Tu de te ipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt verum.* J. *Et ſi ego teſtor de meipſo, verum eſt tamen teſtimonium meum: quoniam ſcio unde venerim, & quò abeam, id quod vos neſcitis. Vos more hominum judicatis: ego non judico quenquam. Et tamen ut maximè judicem, judicium meum verum eſt, utpote qui non ſim ſolus, ſed unà etiam adſit qui me miſit Pater. In veſtra quoque lege ſcriptum eſt, duorum hominum teſtimonium verum eſſe. Ego de me ipſo teſtimonium dico: dicit etiam is à quo ſum miſſus, Pater.* P. *Ubinam eſt tuus Pater?* Je. *Vos neque me noviſtis, neque Patrem meum. Si me nôſſetis, meum quoque Patrem nôſſetis. Ego abiturus*

ſum, & vos me requiretis, atque in peccato veſtro moriemini. Quò ego abibo, vos non poteſtis venire. IU. *Num ipſe ſe interficiet, ut dicat, quò ipſe abiturus eſt, vos venire non poſſe?* JE. *Vos hinc infernè eſtis; ego ſupernè: Vos ex hoc mundo eſtis; ego non item. Ideóque dixi vobis, vos in peccatis veſtris morituros: id quod fiet, niſi credideritis me eum eſſe.* P. *Nam quis tu es?* JE. *Jamdudum id vobis ſum elocutus. Equidem multa de vobis habeo verè dicere. Sed ut ille qui me miſit verax eſt, ità ego quoque ea demum quæ ex eo audivi, hominibus renuntio. Verùm enimvero cùm me extuleritis, tum demum intelligetis me eum eſſe qui meâ ſponte faciam nihil: contráque, ſicut me docuit Pater, ità loquar, mecúmque habeam eum, qui me miſit. Neque enim me ſolum deſeruit Pater; ad cujus ego arbitrium omnia ſemper facio. Quòd ſi vos, qui mihi creditis (video enim eſſe non parùm multos) in meis dictis manebitis; verè diſcipuli mei eritis, veritatémque intelligetis, quæ vos in libertatem vindicabit.* IU. *Nos Abrahami progenies ſumus, neque cuiquam unquam ſervivimus: & tu audes dicere, nos factum iri liberos?* JE. *Credite mihi, Quicunq; facit peccatum, ſervus eſt peccati. Atqui ſervo non eſt domi perpetua manſio, filio eſt. Ergò ſi vos Filius libertate donabit, reipſa liberi eritis. Neque verò me præterit, vos eſſe progeniem Abrahami: ſed enim cupitis me necare, poſtquam mea in vobis oratio locum non habet. Ego quod cognovi à Patre meo, loquor: itidem vos quod didiciſtis à Patre veſtro, facitis.* IU. *Noſter quidem pater Abrahamus eſt.* JE. *Si Abrahami filii eſſetis, Abrahamo digna faceretis. Nunc cupitis me perimere, hominem qui verum vobis ſum effatus,*

id quod audivi ex Deo. At nihil tale faciebat Abrahamus. Vos patre veſtro digna facitis. JU. *Atqui è ſtupro nati non ſumus. Unum Patrem habemus Deum.* J. *Si à Deo Patre eſſetis, amaretis me, quippe cùm à Deo profectus venerim. Neque enim meâ ſponte veni, ſed ab eo miſſus. Cur meam orationem non agnoſcitis? Cur mea dicta audire non poteſtis? Vos ex patre Vejove eſtis, & patris veſtri libidinibus miniſtros vos libenter præbetis. Ille jam ab initio fuit homicida, nec in veritate perſtitit, nempe veritate vacuus. Quòd ſi falſum loquitur, de ſuo loquitur, utpote mendax mendaciique pater. At mihi vos, quia verum dico, non creditis. Quis me veſtrûm coarguerit peccati? Quòd ſi verum dico, cur mihi non creditis? Qui à Deo eſt, Dei dicta audit. Vos ideo non auditis, quia à Deo non eſtis.* JU. *An non rectè dicimus, te eſſe & Samaritanum & furioſum?* JE. *Ego furioſus non ſum, ſed Patrem meum decoro: vos verò me probro afficitis. Sed non ego meæ laudi ſtudeo: eſt qui ſtudeat, & cum ratione. Credite mihi, Qui mea dicta obſervaverit, mortem non videbit unquam.* JU. *Nunc planè videmus te furere. Abrahamus ipſe mortuus eſt, & ipſi vates: Et tu eum à morte in perpetuum vindicas, qui tibi dicto audiens fuerit? Num tu major es patre noſtro Abrahamo, qui tamen mortuus eſt, ut etiam ipſi vates? Quem tu te facis?* JE. *Si ego meipſum laudarem, laudatio mea nulla eſſet. Pater meus eſt qui me laudat: quem vos, cùm dicatis veſtrum eſſe Deum, tamen non noviſtis. At ego novi: id quod ſi negarem, veſtri eſſem ſimilis, id eſt, mendax: ſed novi eum, ejúſque dictis pareo. Abrahamus ille parens veſter geſtivit videre diem meum,*

& vidiſſe gaviſus eſt. Ju. *Quinquaginta annos nondum habes: & Abrabamum vidiſti?* Je. *Imò, antequam Abrahamus eſſet, ego eram.* Ju. *Proh ſcelus! haeccine nos tam indigna ferre? Quin eum cooperimus lapidibus? Agité, fiat lapidatio. Sed quid hoc eſt? Nuſquam compâret: evanuit.*

Sent. Patrem ſequitur ſua proles. Cui quiſque obedit, ejus filius aut ſervus eſt. Ex opere judicatur de homine. Impii ſunt ex diabolo nati. Servire juſtitiæ, ea demum libertas eſt. Simulatores dum ſe negant homicidas, in eo ipſo veſtigio homicidia moliuntur. Simulatorem ſi homicidii argueris, occîdet te, ſi poterit, ut ſe non homicidam eſſe oſtendat. Utinam tantum ſaperet mundus, ut ex ſuis eos fructibus cognoſceret!

CÆCUS NATUS. Joan. 9.

ARGUMENTUM.

Jeſus cæcum natum ſanat. Phariſæi poſtquam hoc, etiam interrogatis ejus parentibus, reſciverunt, de Jeſu maledicunt; & ſanatum, quia de Jeſu benedicebat, rejiciunt. At Jeſus ei ſeſe aperit, & Phariſæos cæcitatis arguens, de ſeipſo, bono paſtore, diſputat.

Diſcipuli, Jeſus, Cæcus natus, Vicini, Phariſæi, Judæi, Parentes cæci, Nuntii.

MAgiſter, utrùm propter ſuum hic, an propter parentum peccatum cæcus natus eſt? J. *Propter neutrum: tantùm ut divina in eo opera demonſtrarentur. Me oportet rem agere ejus qui me miſit, dum dies eſt. Venit nox, cùm agi non poterit. Donec in hac vita ago, lux ſum hominum. Sed agè jam, huic homini lucem conferam. Confectum eſt. Abi lotum in piſcina Siloa.* C. *Faciam, & quidem libenter. O me felicem, ſi poſſum adipiſci id quod homines vocant lumen, quo ità delectantur, ut negent quicquam eſſe jucundius! At ego nunquam nè ſuſpicari quidem potui quale eſſet: neque*

quе omnino animo & cogitatione comprehendere, quid album quidve atrum dicant. Itа̀ mihi natura iniqua fuit, ut mihi rem omnium prædicatione ſuaviſſimam inviderit. Sed jam videor mihi ad piſcinam perveniſſe, lavabo me, ut ſum juſſus. O Deus immortalis! quid hoc rei eſt? Hoccine eſt videre? Ho, ho! vix ſum mei compos præ gaudio. Video ego cœlum, terram, homines. Bone Deus, quis eſt hodie tam fortunatus, quа̀m ego ſum! O populares, aſpicite, aſpicite eum, qui ex utero matris cæcus eſt exceptus, nunc liquidò videntem. V. *Eſtne hic ille, qui ſolebat ſedens mendicare?* Al. *Planè.* Al. *Fieri non poteſt. Alius eſt, ejus ſimillimus.* C. *Imò ego verò ille ipſe ſum.* V. *Quo pacto tibi aperti ſunt oculi?* C. *Quidam homo, quem Jeſum nuncupant, pulverem ſputo ſuo temperatum meis oculis illevit: deinde juſſit ut irem lotum in Siloa: quo facto, ſenſum videndi ſum aſſecutus.* V. *Ubi eſt ille?* C. *Me latet.* V. *Deducamus eum ad Phariſæos.* C. *Quò libet.* V. *Adducimus vobis hominem, Phariſæi, qui ait ſe, cùm à nativitate cæcus eſſet, videndi munus à Jeſu eſſe aſſecutum.* Ph. *Quo modo iſtud, amabò?* C. *Cœno mihi oculos illevit: quibus deinde ablutis video.* Ph. *Is homo non eſt à Deo profectus, ut qui Sabbatum non agat.* Al. *Qui poſſit improbus homo tam ſtupenda?* Ph. *Tu quid de eo cenſes, qui tibi oculos aperuit?* C. *Egóne? Vatem eſſe.* Ju. *Credibile non eſt, eum qui nunc videt cæcum fuiſſe. Evocentur huc ejus parentes.* Al. *Sanè placet. Heus vos, accerſite eos.* N. *Fiet.* Ju. *Placet hanc rem altiùs ſciſcitari.* Nu. *Adſunt.* Ju. *Hiccine eſt filius veſter, quem vos prædicatis cæcum eſſe natum? Qui fit ut nunc cernat?* Pa. *Hunc filium eſſe noſtrum & cæ-*

cum

cum fuiſſe natum ſcimus: quomodo nunc cernat, neſcimus; quiſve ei oculos aperuerit, nos fugit: ipſe jam grandis eſt, ipſum interrogate de ſe, ut eloquatur. Ph. *Appelletur iterum. Ades tu, fatere verum. Nobis ſatis cognitum eſt hominem illum eſſe ſceleratum.* C. *Sceleratus ſit, nécne, neſcio: unum illud ſcio, me, cùm cæcus fuerim, nunc oculis uti.* Ph. *Quid fecit tibi? Quomodo illuſtravit tua lumina?* C. *Jam vobis dixi, neque audiviſtis. Quid denuo vultis audire? Num vos quoque vultis ejus diſcipuli fieri?* Ph. *Abi in malam rem. Tu es ejus diſcipulus: nos Moſis ſumus diſcipuli. Satis ſcimus cum Moſe locutum eſſe Deum: at hic unde ſit neſcimus.* C. *Ergò in eo eſt admirabilitas, quòd vos neſcitis unde ſit, cùm mihi oculos patefecerit. Jam ſcimus improbos à Deo non audiri, ſed ſi quis pius eſt, & Dei voluntati parens, eum audit Deus. Nunquam poſt hominum memoriam fando auditum eſt, quenquam illuſtraviſſe oculos cæci nati. Quòd niſi eſſet is profectus à Deo, nil poſſet.* Ph. *Tu ſcelerum plenus es: & nos doces? Abi foras in malam crucem.* Je. *Audio eum, quem nativâ cæcitate liberavi, exactum eſſe à Judæis. Et ecce eum! Heus tu, habéſne fidem Dei Filio?* C. *Quis autem eſt is, ut ei fidem habeam?* Je. *Vides eum: is ipſe eſt, qui tecum loquitur.* C. *Ego verò fidem habeo.* Je. *Ego in hunc terrarum orbem ad hoc diſcrimen, & ad hunc delectum veni, ut, qui non vident, videant; &, qui vident, cæci fiant.* Ph. *An tibi nos videmur cæci?* Je. *Si cæci eſſetis, non eſſetis in vitio. Nunc, quia dicitis vos cernere, peccatum in vobis hæret. Sic accipite: Qui non intrat per januam in caſam, ſed aliâ tranſcendit, is fur eſt & latro. Qui autem intrat per januam, paſtor eſt ovium.*

vium. Huic janitor aperit. Hujus vocem exaudiunt oves. Hic ſuas appellat nominatim, eáſque educit, eductiſque præit viam: hunc oves conſequuntur, ut cujus vocem agnoſcant. Alienum autem non ſequuntur, ſed defugiunt: quoniam non agnoſcunt alienam vocem. Verùm ut intelligatis quid mihi velim, ſic habetote. Ego ſum janua ovium. Omnes quicunque ante me venerunt, fures ſunt, & latrones; nec eos audierunt oves. Ego ſum janua. Per me qui intrabit, ſervabitur, & ingreſſum & egreſſum liberum habebit, & paſcuum nanciſcetur. Fur non aliam ob cauſam venit, quàm ut furetur, mactet, perdat: Ego veni ut vitâ fruantur, & meliùs habeant. Ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus animã ponit pro ovibus. At mercenarius ille, non paſtor, cujus ſuæ non ſunt oves, ſi quando videt lupum venientem, relictis ovibus, in pedes ſe conjicit: lupus oves agit, rapit. Ille mercenarius fugit: nempe mercenarius, nec curam habens ovium. Ego ſum paſtor bonus, & meas novi: viciſſimque eis ſum notus. Quemadmodum novit me Pater, ità ego novi Patrem, & animã pono pro ovibus. Habeo autem alias oves quæ non ſunt hujus ovilis, quæ etiam mihi adducendæ ſunt, meámque vocem audient: atque ità fiet unum ovile, unúſque paſtor. Ideo me Pater amat, quia animam pono eam reſumpturus. Eam quidem nullus mihi eripere poteſt; ſed ipſe meâ ſponte eam pono: habeo enim poteſtatem eam ponendi rurſúmque ſumendi. Hoc mihi in mandatis dedit meus Pater. Ju. *Furioſus eſt, & inſanit. Quid eum auditis?*
A. *Hæc non ſunt furentis. Poteſtne Furia cæcorum oculos lucis uſu donare?*

Sent. Quos ſanaturus eſt Chriſtus, priùs fœdat, hoc eſt,

fœdo

eſt, fœdos eſſe oſtendit. Simulatoribus nihil eſt vel pertinacius vel crudelius. Equidem ſic mihi perſuaſi, etiam ſi reliqui omnes veritati crederent, ſimulatores non eſſe credituros. Quos mundus rejicit, Chriſtus accipit, eíſq; ſeſe aperit: qui divina ſapiunt, mundo furere videntur. Aperit hic tandem oculos: O cæce munde, noli continuò furoris arguere, ſi quis aliquid vel agit vel dicit quod tu, ô bellua centiceps, vel non approbas, vel non intelligis! Cognoſce iterum & iterum, tertióque cognoſce, antequam judices. Nam ad pœnitendum properat, citò qui judicat.

RENOVALIA. *Joan.* 10.

ARGUMENTUM.

Jeſus Judæis Chriſtum Deique Filium ſe eſſe fatetur: ob eámque cauſam illi eum lapidare conantur.

Judæi, Jeſus.

QUamdiu noſtros animos ſuſpenſos tenebis? Si tu es Chriſtus, dic nobis apertè. Je. *Id dixi vobis, nec creditis: ea quæ Patris mei nomine facio, ſatìs de me teſtantur. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: quemadmodum dixi vobis, Oves meæ vocem meam audiūt: Ego eas cognoſco; ipſæ me ſequuntur; ego eis vitam largior ſempiternam: non poſſunt unquam perire; neque mihi eas quiſquam de manu eripuerit. Pater meus, qui mihi eas mandavit, maximus eſt omnium: nec eas poſſit quiſquam de ejus manu extorquere. Ego autem & Pater unum ſumus.* Ju. *O audaciam! videtis quàm nefaria vox! Agité, obruamus hominem lapidibus.* Je. *Multa ego vobis præclara opera, Patre meo autore, edidi: quod tandem eſt eorum propter quod me lapidetis?* Ju. *Nullam bonam ob rem te lapidamus, ſed ob impia tua in Deum dicta: ſimul quòd, homo cùm ſis, Deum te facis.* Je. *Ebo! annon ità ſcriptum extat in veſtris literis; Ego vos deos appellavi? Si dii appellati ſunt illi, ad quos Dei ſermo habitus eſt, quod ſcriptum reſcindi*

reſcindi nonpoteſt; me, quem Pater conſecravit, & in hunc terrarum orbem miſit, vos impium dicitis, ſi dixi me Dei Filium eſſe? Si Patre digna nonpraſto, mihi nè credite: ſin etiam, ſi non mihi, at factis credite: & tandem cognoſcite & Patrem in me, & me in Patre eſſe. J. *Enimvero iſta jam non ſunt ferenda: injiciamus ei manus: quid ſtamus? Papæ! Ubi eſt? Nuſquam eſt. Ubi eſt? Evanuit in auram præſtigiator, at non ſemper evadet: tenebitur aliquando.*

Sent. Quæ non intelligunt, damnant imperiti. Homicidia ſua religionis nomine prætexunt ſimulatores. Vera dicta habet mundus pro impiis.

THOMAS. Joan. 11.

ARGUMENTUM.

Jeſus diſcipulos ſuos ſe comitari jubet, euntem ad Lazarum in vitam revocandum.

Jeſus, Diſcipuli, Thomas.

A*Beamus iterum in Judæam.* D. *Magiſter, modò te volebant lapidare Judæi: & eodèm redis?* Je. *Diei horæ ſunt duodecim. Qui interdiu iter facit, non offendit: utitur enim communi hac luce. Qui autem noctu, offendit: caret enim lumine. Jam verò Lazarus ille noſter amicus obdormivit: eum ego eo expergefactum.* D. *At ſi obdormivit, ſalvus eſt.* Je. *Planiùs dicendum eſt: Lazarus mortuus eſt, id quod equidem veſtrâ causâ gaudeo, ut rei fidem adjungatis, cùm ſciatis me non adfuiſſe ibi. Sed eamus ad eum.* T. *Eamus & nos morituri cum eo.*

Sent. Chriſto mortuum excitare tam facile eſt, quàm homini dormientem. Chriſto mors ſomnus eſt.

LAZARUS. Joan. 11.

ARGUMENTUM.

Jeſus Lazarum in vitam reſuſcitat.

Martha, Jeſus, Maria, Judæi.

Cùm

CUm eſſem domi, allatus eſt mihi nuntius, advenire Jeſum. Itaque ei extra vicum obviàm procedo. Sed eum advenientem video: adibo, & ſalutabo. O Domine, ſi adfuiſſes hîc, meus frater non fuiſſet mortuus. Sed nunc etiam ſcio, te, quicquid à Deo petiveris, impetraturum eſſe. Je. Reviviſcet frater tuus. Mart. Scio ego revicturum, cùm reviviſcent homines in illo noviſſimo die. Je. Ego ſum reſurrectio & vita, ità ut mihi confidentes omnes & mortui ſint revicturi, & vivi nunquam ſint morituri. Credis hoc? Marth. Etiam Domine. Ego credo te eſſe Chriſtum iſtum Dei Filium, orbi expectatum. Sed eo evocatum Mariam ſororem meam, quæ domi miſera luctu tabeſcit. Je. Quàm multa acerba & perpeſſu aſpera evenire in hominum vita neceſſe eſt! Miſereſcit harum miſerandarum mulierucularum, quæ chariſſimi fratris morte concuſſæ, mœrore conficiuntur, & jam ad me, ſicut ad certum aſylum, confugient, opémque meam & præſens auxilium implorabunt. Atque ecce eas huc accurrentes, cum magna hominum multitudine! Ipſa autem Maria ut plorat! ut lamentatur! ut ſuo luctu omnibus lacrymas excutit! Jam, credo, mihi ad pedes jacebit ſupplicans. M. O Domine, ſi tu hîc adfuiſſes, meus frater non fuiſſet mortuus. Je. Ubi eum poſuiſtis? Ju. Veni viſum. Ut commotus eſt! ut lacrymarum vim profundit! Nimirum eum valde amabat. Alius. Non poterat is, qui cæci oculos recluſit, efficere, ut hic non moreretur? Sed videte ut rurſum conturbetur. Je. Hîc eſt monumentum: amovete ſaxum. Marth. At jam fœtet, Domine: nam quatriduum eſt. Je. Dixíne ego tibi, te, ſi potes fidere, viſurum glorioſum & planè divinum factum? Tollite modó. Pater, gratias

gratias tibi ago, quòd me audiviſti. Equidem ſciebam ut me ſemper audias: ſed dicebam propter circumſtantem hominum multitudinem, ut credant me à te eſſe miſſum, Lazare veni foras. JU. *O rem ſeculis omnibus inauditam! Videte, videte hominem è ſepulchro emergentem, vinctis pedibus & manibus faſciis, vultúque ſudario obvelato. O immenſam Dei potentiam!* JE. *Solvite eum & dimittite liberum.*

Sent. Chriſti vox etiam à mortuis auditur; & nos vivi eam non audimus.

REPUDIUM. *Matt.* 19. *Mar.* 10.

ARGUMENTUM.

Jeſus cum Phariſæis & diſcipulis de divortio colloquitur.

Phariſæi, Jeſus, Diſcipuli.

LIcétne viro repudiare uxorem, qualibet de cauſa? J. *Quid vobis præcepit Moſes?* P. *Moſes permiſit uxori nuntium remittere, ſcripto divortii inſtrumento.* J. *Annon legiſtis, ut qui eos principiò fecit, marem ſimul & fœminam fecerit? útque ità pronuntiatum ſit, propterea vir, relicto utroque parente, hærebit ſuæ conjugi, fiétque ex duobus unum corpus? Itaque jam non ſunt duo, ſed unum corpus. Proinde quod Deus conjugavit, homo nè disjungat.* P. *Cur ergò præcepit Moſes, ei dari divortii tabulam, eámque repudiari?* J. *Habuit videlicet ration m veſtræ pervicaciæ. Verùm olim non erat ità factitatũ. Quin hoc vobis confirmo, Quicunq; repudiaverit uxorem ſuam, niſi ob ſtuprũ, & duxerit aliam, adulterat; & qui repudiatã duxerit, adulterat. Eâdem in cauſa ſunt & fœminæ.* D. *Si ea eſt viri cum uxore conditio, non expedit connubia conjungere.* J. *At non omnes id præſtare poſſunt, ſed ii duntaxat quibus datum eſt. Nam eviratorũ alii ità ex utero matrum orti ſunt,*

alii manu caſtrati ſunt, alii ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœleſte. Qui hoc poteſt præſtare, præſtato.

Sent. Deus ipſe propter hominum pervicaciam aliquid interdum permittit, quod alioquin permittendũ non eſſet. Olim fuit mundus minùs malus: & omnia abeunt indies in deterius. Libidini reſiſtere niſi dono Dei nemo poteſt.

DIVES. Matt. 19. & 20. Marc. 10. Luc. 18.

ARGUMENTUM.

Jeſus ab adoleſcente interrogatus, vitæ viam docet; & quàm ſit ea divitibus difficilis oſtendit, déque præmiis ſuorum diſſerit.

Adoleſcens, Jeſus, Diſcipuli.

M*Agiſter bone, quid boni faciendum mihi eſt, ut vitam æternam adipiſcar?* J. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus eſt niſi unus Deus. Quòd ſi vis ad vitam pervenire, ſerva præcepta.* A. *Quænam?* J. *Nè adulterato. Nè occidito. Nè furator. Falſum teſtimonium nè dicito. Nè quem intervertito. Parentum utrumque colito. Alterum ut teipſum diligito.* A. *Hæc omnia ſervavi jam à teneris. Quid mihi reſtat?* J. *Probo. Unum tibi deeſt. Si vis perfectus eſſe, I venditum rem tuam omnem, & pretium in pauperes erogato, theſaurum habiturus in cœlo: deinde ad me ſequendum crucem ferens venito. Eho! abit mœſtus: eſt enim perdives. O mei diſcipuli, quàm difficulter, qui rem habent, ad regnum cœleſte perveniunt! Obſtupetis? O filii, quàm difficile factu eſt, ut, qui divitiis freti ſunt, in regnum divinum ingrediantur! Dicam iterum: facilius eſt rudentem trajici per foramen acûs, quàm divitem in regnum divinum introire.* D. *Ecquis igitur poterit ſervari?* J. *Hoc humanis quidem viribus fieri non poteſt, ſed poteſt divinis: nam omnia, quantumvis hominibus ardua videantur, à Deo tamen fieri poſſunt.*

D. *Nos*

D. *Nos quidem (ut vides) reliquimus omnia ut te ſequeremur: quid ergò hinc aſſequemur?* J. *Vos quidem certè, qui me ſecuti eſtis, cùm in renovata vita in tribunali magnificus conſedero, ſedebitis etiam in duodecim tribunalibus, duodecim tribus Iſraëlitarum judicantes. Et omnino quiſquis domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut conjugem, aut liberos, aut agros reliquerit, mei nominis & evangelii, regníque divini gratiâ; is & in hoc ævo, etiam inter tot acerba, centuplum accipiet, & in futura ætate vitâ fruetur ſempiternâ. Sed multi primi erunt ultimi, & ultimi primi. Nam in regno cœleſti idem uſu venit, quod in quodam patrefamiliâs qui primo mane exiit ad conducendos in vineam ſuam operarios: & cùm ſingulis denariis in diem cum eis decidiſſet, eos in vineam dimiſit. Iterúmque circiter horam tertiam egreſſus, vidit alios otioſos in foro manentes, quos etiam in vineam ſuam dimiſit, séque eis quod æquum eſſet daturum promiſit. Item circa ſextam & nonam horam egreſſus, fecit idem. Horâ autem ferè undecimâ egreſſus, cùm alios deſides inveniſſet; Quid hîc (inquit) ſtatis totum diem otioſi? Nemo nos conduxit, inquiunt illi. Tum ille; Ite & vos in vineam meam, &, quod erit æquum, accipietis. Veſpere mandat vineæ Dominus procuratori ſuo, ut operarios convocet, eiſque præmium perſolvat, initio facto ab ultimis ad primos. Hîc qui venerant horâ ferè undecimâ, ſingulos acceperunt denarios. At primi, qui ſeſe plus accepturos rati eſſent, cùm tantundem accepiſſent, murmurabant in patremfamiliâs, quòd ultimos, qui unam horam opus feciſſent, ipſis æquaviſſet, qui totius diei onus pertuliſſent, & ar-*

dores. Tum ille uni ex eis, Amice, inquit, non facio tibi injuriam. Nónne denario mecum depactus es? Aufer tuum, & abi. Libet mihi tantum dare huic ultimo, quantum tibi. An mihi non licebit meis uti meo arbitrio? Eóne tu oculum malignum habes, quia ego ſum benignus? Ità in regno cœleſti ultimi primorum, & primi ultimorum conditione erunt. Multi enim ſunt vocati, ſed pauci electi.

Sent. Divitiæ magno ſunt ad ſalutem impedimento. Dives divitiis, denique homines iis quæ habent chariſſima renuntiare, humanis viribus nequeunt, divinis queunt.

DIVES IMMISERICORS. Luc. 16.

ARGUMENTUM.

Dives immiſericors apud inferos cruciatus, nè tantulam quidem miſericordiam ab Abrahamo impetrare poteſt.

Dives, Abrahamus.

P*Ater Abrahame miſerere mei, & mitte Lazarum qui, ſummo digito in aqua intincto, linguam mihi refrigeret: diſcrucior enim in hac flamma.* A. *Fili memineris, te bonis in vita, Lazarum malis eſſe defunctum: Nunc viciſſim hic in voluptate, tu in dolore es. Preterea conſtat omnino inter nos & vos vaſta vorago, ut hinc ad vos, aut iſthinc ad nos aditus tranſire volentibus non pateat.* D. *Saltem illud oro te, pater, ut eum mittas in domum mei patris, ut meos fratres (habeo enim quinque) commonefaciat, nè ipſi quoque committant, ut in hunc tam tetri cruciatûs locum veniendum ſit.* A. *Habent Moſen & cæteros vates, eos audiunto.* D. *Eſt illud quidem aliquid, pater Abrahame. Sed ſi quis à mortuis ad eos fuerit profectus, faciliùs vitam corrigent.* A. *Si Moſen & vates non audiunt, nè ei quidem qui revixerit, obtemperaturi ſunt.*

Sent. Jnclementes inclementer punientur. Qualem ſe quiſque alteri præbuerit, talem in ſe experietur Deum. Impiorum ſera pœnitentia. Beati qui plorant: nam conſolatione afficientur. Væ gaudentibus: dolebunt enim. Nam rerum viciſſitudo eſt. Qui ſanctâ doctrinâ ad ſanitatem non revocatur, deſperandus eſt.

*FILII ZEBEDÆI. Matt.*20.*Mar.*10.

ARGUMENTUM.

Jeſus Jacobo & Joanni regnũ petentibus crucem proponit.

Mater Jacobi & Joannis, Jeſus, Jacobus, & Joannes.

M*Agiſter, volebant quiddam à te petere hi mei duo filii.* Je. *Quidnam id eſt?* Ja. *Ut tibi, cùm ſplendorem & imperium fueris adeptus, alter dexter, alter ſiniſter, aſſideamus.* Je. *Neſcitis quid petatis: poteſtiſne idem mecum poculum ebibere, eâdémque lotione ablui?* Ja. *Poſſumus.* Je. *Meum quidem poculum bibetis, meâque lotione lavabimini: Sed ut mihi dextrâ lævâque aſſideatur, non eſt meum dare, niſi iis, quibus id paratum eſt à Patre meo.*

Sent. Ad regnum Dei non niſi per crucem venitur; & tamen non hominis meritum, ſed Dei donum eſt.

*VINITORES. Matt.*21 *Mar.*11. *Luc.*20.

ARGUMENTUM.

Jeſus à pontificibus & Scribis, & ſenioribus de autore ſuæ poteſtatis interrogatus, ipſos viciſſim de autore lotionis Joannis interrogat. Deinde per ſimilitudines eis futurum prædicit, ut, propter ſe repudiatum, regno priventur.

Pontifices, & Scribæ, & Seniores, Jeſus.

D*Ic nobis, ex cujus autoritate iſta facias, & quis tibi dederit ut tantum poſſes.* J. *Ego viciſſim vos quiddam rogabo, de quo ſi mihi reſponderitis, dicam vobis ex cujus autoritate hæc faciam. Lotio Joannis unde erat? à cœlóne, an ab hominibus?* P. *Si à cœlo dicimus*

mus, dicet; cur ergò non credidiſtis? Sin ab hominibus, periculum eſt nè univerſus nos populus lapidet. Omnes enim Joannem habent pro vate. Negemus ſcire nos. Agé, neſcimus. J. *Ego quoque non dicam vobis, quâ hæc autoritate faciam. Sed quid cenſetis? Habebat quidam duos natos, quorum priorem aggreſſus eſt his verbis; Nate, abi ad faciendum opus hodie in vinea mea. Cui ille, Non libet, inquit: pòſt tamen, mutatâ ſententiâ, abiit. Alteri deinde eodem modo dixit: qui pollicitus iturum ſe, non ivit. Uter paruit voluntati patris?* P. *Prior.* J. *Credite mihi, Publicani & meretrices antecedunt vos in regnum divinum. Venit enim ad vos Joannes, vir integrâ vitâ, cui vos non credidiſtis: Publicani & meretrices crediderunt. Quod cùm videretis, nè ſic quidem mutâſtis animum, ut ei crederetis. Accipite aliam ſimilitudinem. Fuit quidam paterfamiliâs, qui conſevit vineam, quam cùm ſepibus circumdediſſet, torculárque in ea defixiſſet, & caſtellum extruxiſſet, elocavit agricolis, domóq; poſtea multo tempore abfuit. Pòſt ſuo tempore miſit ad agricolas ſervum, ad percipiendum fructum vineæ, quem illi malè acceptum plagis, inanem remiſerunt. Iterum mittit alium: eum quoque illi lapidibus contuſum, & ictibus indigniſſimè mulctatum, vacuum remiſerunt. Nec ſatis. Addit tertium, quem etiam vulneribus confectum ejecerunt. Pergit mittere alios atque alios, qui omnes vel pulſati, vel occiſi ab eis ſunt. Et jam cùm unum haberet filium, eúmque chariſſimum, ità ſecum cogitabat; Quid agam? Mittámne ad eos filium, meas delicias? At mittam: fortaſſe ejus conſpectum reverebuntur. Itaque facit. At vinitores, eo viſo, ſic loqui inter ſe inſiſtunt;*

ſiſtunt; Hic quidem eſt hæres, interimamus eum, ut invadamus in hæreditatem. Itaque ejectum è vinea perimunt. Cùm ergò redierit vineæ Dominus, quid faciet agricolis illis? P. Malos malè perdet, vineam aliis tradet agricolis, à quibus fructum percipiet ſuo tempore. Sed abſit ut quid tale eveniat. J. Nunquámne legiſtis dictum illud in monumentis literarum? Quem lapidem improbaverunt ſtructores, adhibitus eſt ad caput anguli. A Domino profectum id eſt, & mirum nobis videtur. Quamobrem ſic ex me accipite. Auferetur à vobis regnum divinum, & dabitur genti ſuum fructum editura. Ac quiſquis inciderit in lapidem eum, confringetur: & in quem lapis inciderit, eum conteret. Nam in regno cœleſti ſimiliter accidit, atque in rege quodam, qui nuptias filii ſui facturus, ſervos ſuos miſit, qui invitatos ad nuptias vocarent. Cúmque illi noluiſſent venire, alios item ſervos miſit, quibus negotium dedit, ut oſtenderent invitatis ipſum paraviſſe prandium, juvencos & altilia eſſe mactata, omnia denique eſſe parata, ut venirent ad nuptias. At illi eum aſpernati diſceſſerunt, alius in ſuum agrum, alius ad mercaturam. Cæteri comprehenſos ejus ſervos è vita per ſummam ignominiam ſuſtulerunt. Quâ re auditâ, iratus rex, eò ſuas copias miſit, & homicidas illos perdidit, eorúmque urbem incendit. Deinde ſuis ſervis mandavit, ut (quoniam paratæ erant nuptiæ, & qui ad eas erant vocati, non fuerant digni qui in eis adeſſent) per vias paſſim abirent; & ut, quemcunque inveniſſent, ad nuptias vocarent. Illi in trivia profecti, quoſcunque invenerunt, coegerunt, tum malos, tum bonos, ità ut compleretur cœnatio convivis. Ad eos contemplandos

ingreſſus rex, animadvertit ibi quendam non nuptiali veſtitu indutum: &, Amice, inquit, quid huc intrâſti ſine veſtimento nuptiali? Cúmque ille obmutuiſſet, juſſit rex famulis, ut eum pedibus manibúſq; conſtrictum, in teterrimas tenebras abriperent, ubi futurus eſſet ploratus ſtridórque dentium. Multi enim vocati ſunt, ſed pauci electi.

Sent. Publicani & meretrices ad Dei regnum ſunt aptiores, quàm populorum magiſtri atque gubernatores. Qui divinis donis ornatus ingratum ſe præbet, is donis privatur. Optima quæque maximè improbantur à potentiſſimis quibuſque.

DENARIUS. Matt.22.Mar.12.Luc.20.

ARGUMENTUM.

Jeſus à Phariſæorũ Herodíſq; diſcipulis de tributo Cæſari pendendo malitioſè interrogatus, prudenter reſpondet.

Diſcipuli Phariſæorum Herodiani, Jeſus.

M*Agiſter, ſcimus ut verax ſis, divinámque vivendi rationem verè & ſincerè tradas, neque ullius omnino hominis gratiâ de veritate deducaris. Proinde dic nobis, quid tibi videatur: liceátne nobis cenſum pendere Cæſari, nécne.* J. *Quid me tentatis, ſimulatores? Exhibete mihi nummum tributarium.* D. *En tibi denarium!* J. *Cujus eſt imago hæc, & inſcriptio?* D. *Cæſaris.* J. *Itaque reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo.*

Sent. Aſtutis aſtutè reſpondendum. Captioſa ad nocendum interrogatio, vitioſa eſt: ſed ad eandem aſtuta ad ſeipſum tuendum reſponſio vitioſa non eſt.

SADDUCÆI. Matt.22.Mar.12.Luc.20.

ARGUMENTUM.

Jeſus à Sadducæis de ſeptem maritorum uxore interrogatus, cujuſnam futura eſſet in altera vita, docet ibi nulla fore matrimonia, & obiter reſurrectionem fore oſtendit. Deinde legiſperito de maximo legis præcepto reſpondet.

Poſtremò,

Poſtremó, illos quadam interrogatione de genere Chriſti compeſcit.

Sadducæi, Jeſus, Scribæ, Phariſæi, Legiſperitus.

MAgiſter, Moſes ſcripto ſanxit, ſi quis mortuus fuerit ſine liberis, ſuperſtite uxore & fratre, ut is frater ejus uxorem duceret, fratrique prolem ſuſcitaret. Fuerunt autem apud nos fratres ſeptem, quorum primus ductâ uxore, ſine liberis mortuus eſt, fratrique uxorem habendam reliquit. Eodem modo alter, & tertius, donec tandem ſingulis ad unum mortuis, ultima omnium moritur fœmina. Cùm ergò revixerint homines, cujus ex ſeptem erit uxor, cùm omnes eam habuerint? J. *Erratis ignoratione literarum & divinæ poteſtatis. In hac vita homines connubunt: ſed quibus contingit donari vitâ illâ novatâ, ii nullis inter ſe matrimoniis copulantur: ſiquidem nè mori quidem jam poſſunt súntque quaſi cœleſtes & divini genii, Deique filii. Mortuos autem ad vitam revocari, vel Moſes indicat in rubo (ſi fortè unquam legiſtis) ubi Deus ait, Deum eſſe Abrahami, Deum Iſaaci, Deum Jacobi. Viventium nimirum Deus eſt, non mortuorum, cùm ei omnes vivant. Qua in re vehementer erratis.* L. *Quando hic tam expoſitè reſpondit, volo ego quoque ejus acumen explorare. Magiſter, quodnam eſt primum & maximum in lege præceptum?* J. *Audi Iſraëlita: Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt. Dominum Deum tuum toto animo, omni curâ, ſtudio, cogitatione, operâ, amato. Hoc eſt primum & maximum præceptum. Alterum ei ſimile eſt: Alterum ut teipſum amato. Majus his præceptum nullum eſt. Ab his duobus tota legis & vatum doctrina pendet.* L. *Præclarè*

ſanè

ſanè, Magiſter, dixiſti. Nam unus eſt Deus, præterea nullus: quem ſummâ animi ope, curâ, ſtudio, operâ, cogitatione amare, necnon alios ut ſeipſum diligere, omnibus præſtat piamentis & ſacrificiis. J. Non longè abes à regno divino. Sed, ut vos ego viciſſim interrogem, Pharisæi, Quid cenſetis de Chriſto? Quo prognatum fore? P. Davide. J. Quî fit ergò, ut eum David numine afflatus Dominum vocet, ad hunc modum? Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, donec tuos tibi hoſtes, ſcamni inſtar, calcandos tradidero. Si eum David Dominum vocat, quî fieri poteſt ut ſit Davide prognatus?

Sent. Sublatâ morte, ſublata erunt & matrimonia, utpote ad generis humani propagationem inſtituta: quâ propagatione jam nihil opus erit, nemine moriente. Amor, legis perfectio.

PETRUS S. Luc. 22. *Joan.* 13, & 14.

ARGUMENTUM.

Jeſus moriturus diſcipulos ſuos modeſtiā amorémq; docet, ſui deſertionem, & Petri abnegationem prædicit, déque ſuo ad Patrem diſceſſu, & Spiritûs ſancti miſſione differit.

Jeſus, Petrus, Diſcipuli, Thomas, Philippus, Judas Thaddæus.

INter gentes ut quiſque plurimùm opibus valet, ità maximè rex eſt, & potentiſſimus quiſque facillimè principis nomen obtinet. At veſtra longè alia eſt ratio. quantóque quiſque major eſt, tantò ſubmiſſiùs ſe gerat: & quantò plus imperio pollet, tantò magìs miniſtrum ſe præbeat. Uter enim major eſt? qui accumbit, an qui miniſtrat? Nónne qui accumbit? Atqui ego inter vos ſum ſicut miniſtrans, vobiſque (qui permanſeritis mecum in meis rebus adverſis) legatum mihi à Patre meo regnum ſimiliter lego; ut edatis & bibatis in eadem

mecum

mecum menſa in regno meo ; & in tribunalibus ſedentes, jus duodecim tribubus Iſraëlitarum dicatis. Filioli, adhuc parumper vobiſcum futurus ſum : quæretis me, & , quemadmodum dixi Judæis , quò ego iturus ſum, eos venire non poſſe : ità vobis quoque nunc dico. Itaque hoc novum vobis præceptum do , ut ametis vos inter vos, & ametis quemadmodum ego vos amavi. In eo cognoſcent omnes , vos meos eſſe diſcipulos, ſi mutuo vos amore complectimini. P. *Domine, quò abiturus es?* Je. *Quò ego abiturus ſum , non potes me nunc ſequi, ſed poſtea ſequêris.* P. *Quî minùs nunc poſſum ? Animam pro te ponam.* Je. *Animam pro me pones ? Crede mihi, nondum cecinerit gallus , cùm tu me ter abjuraveris. Simon, Simon, Satanas ille (nè tu ſis neſcius) expetivit vos ad cribrandum, quaſi frumentum : Verùm ego oravi pro te, nè tu de conſtantiæ gradu dejicereris. Tu viciſſim aliquando recreatus , confirmato fratres tuos.* P. *Atqui paratus ſum , & carcerem tecum , & mortem ſubire.* Je. *Hoc tibi confirmo, Petre, gallum hodie non cantaturum, quin tu, me tibi notum eſſe , ter negaveris. Porrò, cùm dimiſi vos ſine crumena , & pera, & calceis, num quâ re caruiſtis ?* D. *Nullâ.* Je. *At nunc , qui habet crumenam, adhibeto, nec minùs peram. Quíque non habet gladium, vendito pallium ſuum, & comparato. Nam in me (nè vos neſciatis) ſupereſt comprobandum ſcriptum illud : Et inter improbos habitus eſt, habéntque meæ res finem.* D. *Domine , ecce hîc duo gladii.* Je. *Satìs eſt. Cæterùm nolite animo perturbari : fidem habetis Deo; & mihi fidem habete. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Quòd ſi ſecùs eſſet , dicerem vobis. Eo paratum vobis locum : id quod ſi fecero,*

ro, reveniam ad vos mecum aſſumendos: ut, ubi ero ego, ibi vos quoque ſitis. Et quidem quó, & quâ viâ proficiſcar, ſcitis. T. *Nos verò neſcimus quò eas, tantum abeſt ut viam tenere poſſimus.* J. *Ego ſum Via, Veritas, & Vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me. Si cognoſceretis me, meum quoq; Patrem cognoſceretis: & jam nunc cognoſcitis, & vidiſtis eum.* Ph. *Domine, oſtende nobis Patrem: id ſatìs erit nobis.* J. *Tantum jam tempus vobiſcum verſor, & tu me non nôſti? Philippe, qui vidit me, vidit patrem: quî fit ut tu jubeas vobis patrem oſtendi? Non credis & me in Patre, & Patrem in me eſſe? Quæ vobis dico, meâ ſponte non dico: ſed ipſe Pater, qui in me manet, hæc agit. Credite mihi, & me in Patre, & Patrē in me eſſe: aut certè de ipſis factis mihi credite. Hoc vobis confirmo, eum qui mihi fidem habebit, eadem mecum, vel etiam majora facturum. Nam ad Patrem meum me confero, facturus quicquid per meum nomen petieritis, ut Patris gloria in filio celebretur. Si quid (inquam) petieritis per nomen meum, id ego faciam. Si me amatis, præcepta mea conſervate. Ego verò exorabo Patrem, ut alium vobis confirmatorem det, qui vobiſcum perpetuò maneat: Spiritum illum certum veritatis autorem dico, quem hominum vulgus non poteſt comprehendere, quia eum neque videt, neque cognoſcit: at vos cognoſcitis, quoniam apud vos manſurus, & in vobis futurus eſt. Non relinquam vos pupillos: inviſam vos. Pòſt paulò jam me non videbunt homines; at vos videbitis: quia ut ego vivo, & vos vivetis. Tum cognoſcetis & me eſſe in Patre meo, & vos in me, & me in vobis. Qui tenet præcepta mea, eáque conſervat, ille eſt qui me amat. Qui verò me amat, amabitur*

bitur à Patre meo,eundémq; ego quoq; amabo , méq; ei aperiã. Ju. *Quid cauſa eſt, ut nobis teipsũ ſis aperturus, promiſcua hominũ multitudini non item?* Je. *Qui me amat, dicta mea vitâ exprimet, eúmque meus Pater amabit, & ad eum veniemus, & apud eum degemus. Qui me non amat, dicta mea non exequitur. Sermo autem quẽ auditis, meus non eſt, ſed Patris qui miſit me. Hæc quidem ſum vobis elocutus, apud vos manens. Sed ille confirmator (Spiritum ſanctum dico) quem mittit Pater nomine meo, vos docebit, & recolet omnia quæcunque dixi vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, nec eam, qualem homines ſolent. Nolite animo perturbari, neque formidare. Audiviſtis ut dixerim vobis, abire me reviſurum vos. Si me amaretis, gauderetis, quia dixiſſem ire me ad Patrem, qui major me ſit. Et, nunc dixi vobis, priuſquam evenit; ut, cùm evenerit, credatis: jam non multa loquar vobiſcum. Venit enim hujus mũdi princeps, nec habet quod in me carpat: tantũ eò res tendit, ut intelligãt homines me amare Patrẽ, & ità facere utì mandavit. Surgite, abeamus hinc.*

Sent. Inter Chriſtianos quò quiſque major, eò ſubmiſſior. Ex charitate cognoſcitur Chriſtianus. Ut quiſque ſibi maximè confidit, ità facillimè labitur. Spiritus ſanctus Chriſtianum perficit.

PILATUS. Matth 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 18.

ARGUMENTUM.

Jeſum accuſant Judæi. Pilatus interrogat. Jeſus de ſuo regno & officio reſpondet. Pilatus eum ad Herodem mittit.

Pilatus, Judæi, Jeſus, Pontifices.

QUodnam crimen affertis in hunc hominem, quem mihi vinctum tradidiſtis? Ju. *Niſi eſſet maleficus, nunquam eum tibi tradidiſſemus.* Pi. *Abducite eum vos, & ex lege veſtra judicatote.* Ju. *Nobis non*

licet

licet interficere quenquam. Sed ſi quæris crimina, eum deprehendimus pervertentem gentem, & prohibentem Cæſari tributa dare, séque Chriſtum regem eſſe dicentem. Pi. *Libet ex ipſo ſciſcitari. Heus, túne es rex Judæorum?* Je. *Tuâne iſtud ſponte dicis, an ex aliis auditum?* Pi. *Quaſi ego Judæus ſim. Tui te populares & pontifices mihi tradiderunt. Quid commiſiſti?* Je. *Regnum meum terreſtre non eſt: quòd ſi eſſet, mei ſatellites pugnaviſſent, nè Judæis addicerer. Verùm regnum meum hîc poſitum non eſt.* Pi. *Tu ergò rex es?* Je. *Rectè ais. Ego eò natus ſum, & in hunc terrarum orbem ingreſſus, ut teſtimonium perhibeam veritati. Quiſquis à veritate eſt, vocem meam audit.* Pi. *Quid eſt veritas? Heus pontifices, & plebs Judæa! ego nullum deprehendo crimen in hoc homine.* Po. *Atqui nemo eſt hodie nocentior, neque ſupplicio graviore dignus.* Pi. *Non audis quæ in te proferant crimina? Nihilne reſpondes? Vide ut te graviter accuſent. Quid taces? Nequeo mirari ſatis.* Po. *Populum ſuâ doctrinâ à Galilæa ad hunc uſque locum excitat.* Pi. *Eſtne is Galilæus?* Po. *Eſt.* Pi. *Percommodè cadit, quòd eſt ditionis Herodis, qui nunc in urbe eſt. Itaque eum ad illum duci jubebo.*

- *Sent.* Autoritati ſuæ credi volunt calumniatores piorum. Chriſti regnum mundanum non eſt.

BARRABAS. Matt. 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Joan.* 19.

ARGUMENTUM.

Pilatus Judæorum importunitate fatigatus, Jeſum damnat ad crucem: Barrabámque latronem dimittit.

Pilatus, Pontifices, Judæi, Jeſus.

NVnc, *Judæi, adduco vobis eum, ut intelligatis me nullum in eo crimen invenire. Ecce homo!* Po. *Crucifige,*

Crucifige, crucifige. Pi. *Comprehendite eum vos, & crucifigite: nam ego nullum in eo crimen invenio.* Ju. *Nos legem habemus, quæ jubet eum morte plecti, quia filium Dei ſe fecit.* Pi. *Metuo quorſam evadant hæc. Undenam es? Mihi non eloqueris? An neſcis me poteſtatem habere tui vel crucifigendi vel relaxandi?* Je. *Non haberes ullam in me poteſtatem, niſi id tibi datum eſſet ſupernè. Itaque qui me tibi tradidit, in majore culpa eſt.* Pi. *Hic quidem mihi amittendus eſt, video.* Ju. *Si eum amittis, non es amicus Cæſari. Quiſquis enim regem ſe facit, adverſatur Cæſari.* Pi. *Agè, jam educam eum ad vos. Ecce rex veſter!* Ju. *Tolle in crucem, tolle in crucem.* Pi. *Regem ego veſtrum in crucem?* Ju. *Nullum habemus regem præter Cæſarem.* Pi. *Nihil ago, video: cedendum eſt multitudinis libidini. Cedò huc mihi aquam. Hâc manuum lotione teſtatum volo, Judæi, me in ſanguine hujus innocentiſſimi viri ab omni noxa abeſſe. Veſtra culpa eſto.* Ju. *Ejus ſanguinem nos noſtrique poſteri luamus.* Pi. *Ergò Barrabam hunc latronem liberum habete; Jeſum autem veſtro arbitrio in crucem tollendum abducite.*

Sent. Poteſtas à Deo eſt. Cæſari malunt ſervire inimici Chriſti, quàm Chriſto; latronem liberari, quàm inſontem. Utinam non eadem fierent hodie!

SIMON. Joan. 21.

ARGUMENTUM.

Jeſus in vitam ſuſcitatus, piſcantibus ſuis diſcipulis apparet. Deinde cùm eos prandere juſſiſſet, Petro violentam mortem prædicit.

Jeſus, Diſcipuli, Joannes, Petrus.

HEus juvenes! nunquid edulii habetis? D. *Nihil.* Je. *Jacite rete ad dextram navis partem, & invenietis.* D. *Faciemus. O miraculum! tanta eſt in noſtro*

ſtro reti piſcium multitudo, ut trahere non poſſimus. Jo. *Dominus eſt.* P. *Ego igitur induſium ſuccingam, & ad eum ad ripam natabo.* D. *At nos navigabimus, neque procul à terra abſumus. Jam appulimus. Hîc eſt prunæ impoſitus piſcis, & panis.* Je. *Afferte de piſcibus, quos modò cepiſtis.* P. *Attraham rete ad terram. O magnum numerum piſcium!* D. *Quot ſunt?* P. *Enumerabo. Sunt centum quinquaginta tres.* D. *Mirum eſt, rete non eſſe ruptum.* Je. *Venite pranſum: veſcimini hoc pane, & piſce. Simon Joannide, diligis me plùs quàm hi?* P. *etiam Domine, tùte ſcis quàm te amem.* Je. *Paſce agnos meos. Simon Joannide, diligis me?* P. *Etiam Domine, tùte ſcis ut te amem.* Je. *Paſce oves meas. Simon Joannide, diligis me?* P. *Domine, tu omnia ſcis, tu nôſti quàm te amem.* Je. *Paſce oves meas: ſimul & hoc accipe; Cùm eſſes juvenis, ipſe te cingebas, & ibas quò volebas: ſed cùm ſenueris, alius te, cùm manus extenderis, cinget, & ducet quò noles. Sequere me.* P. *Hic autem quid?* Je. *Si eum volo manere, donec reveniam; quid ad te? Tu modò ſequere me.*

Sent. Jubente Chriſto, qui piſcatur, feliciter piſcatur; id quod de hominibus ſecundum Spiritum accipiendum eſt. Qui Chriſtum amat, huic Chriſtus oves commendat. Diſcipuli eadem conditio eſt quæ magiſtri.

LINGUÆ. Act. 2.

ARGUMENTUM.

Cùm Chriſti diſcipulos novis linguis loquentes Judæi putarent ebrios eſſe; Petrus ad eos orationem habens, demonſtrat illud eſſe donum Spiritûs ſancti à Chriſto in vitã excitato effuſi. Hoc audito, illi pœnitentiam agunt, & in Chriſti nomine lavantur.

Judæi, Petrus.

NOnne omnes hi, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Al. Sunt. J. *Ecquid eſt, quòd noſtrûm quiſque verna-*

culam ſibi linguam audiat? Parthi, Medi, & Elamitæ, Meſopotamiæ incolæ, & Judææ, & Cappadociæ, Pontique, & Aſiæ, & Phrygiæ, & Pamphyliæ, & Ægypti, & ejus Libyæ partis quæ eſt ſecundum Cyrenen, & peregrinantes Romani, tum Judæi, tum adventitii, Cretenſéſque & Arabes, audimus eos rerum divinarum amplitudinem noſtris cujúſque linguis eloquentes. Hoc quidem jam non humanum eſt. Equidem ſic obſtupeſco, ut neſciam, vigilémne, an ſomniem. Quid hoc rei eſt? Al. *Bacchi agitatio eſt. O Bacche, pater es eloquentiæ.* J. *Quid ais?* Al. *Vini pleni ſunt: mera temulentia eſt. Unde enim tam multas linguas, tam diverſas, tam repentè didiciſſent?* Al. *Viri Judæi, & Hieroſolymæ incolæ omnes, attendite, & mecum quæ dicam recognoſcite. Non ſunt hi temulenti, quemadmodum vos arbitramini: (eſt enim hora diei tantùm tertia) ſed viget illa vatis Joëlis prædictio: Ultimis autem temporibus (inquit Deus) omne hominum genus meo Spiritu perfundam, ità ut veſtri filii filiæq; vaticinentur, & juvenes viſis, & ſenes inſomniis edoceantur. Quinetiam ſervi & ancillæ, tunc meo Spiritu delibuti, vaticinabuntur. Sed id ſignis quibuſdam præſignificabo, tum ſuprà in cœlo, tum infrà in terra, videlicet ſanguine, & igni, & fumido vapore. Ipſe ſol tenebris obducetur, & luna ſanguine, antequam Domini magnus ille & inſignis dies veniat. Quiſquis autem Domini nomen invocaverit, evadet. Audite verba hæc, viri Iſraëlitæ: Jeſum Nazarenum (at quem virum!) qui vobis à Deo repræſentatus eſt portentis, miraculis, ſignis, quæ per eum Deus in medio veſtrûm edebat, ut ſcitis, hunc vos, definito Dei conſilio & providentiâ tradi-*

tum, hominum impiorum operâ comprehenſum, ad palum alligatum ſuſtuliſtis: quem Deus ereptum èx mortis doloribus, in vitam revocavit, quatenus fieri non poterat ut à morte teneretur. David enim dicit de eo, Propoſitum mihi dominum ob oculos ſemper habeo: eóque mihi dextero, nullâ re commoveor. Nec verò ſolùm mentis atque animi lætitiâ geſtio, verumetiam ipſo corpore fidenter perſto, quòd tu animam meam apud inferos non deſeres, nec permittes ut is, qui tibi ſuâ pietate placet, interitu deleatur: ſed me viam vitæ docebis, mihique cumulatiſſimam apud te voluptatem præſtabis. Si licet apud vos, viri fratres, liberè de ſummo patre Davide loqui, is & vitam finivit, & ſepultus eſt, & ejus monumentum apud vos ad hoc tempus extat. Sed cùm vates eſſet, & ſciret Deum ſibi juraviſſe, ſeſe ex fœtu lumborum ejus, quod ad humanam conditionem pertinet, ſuſcitaturum Chriſtum, & in ejus ſolio collocaturum, præſcius Chriſti reſurrectionis dixit, ejus neque animam apud inferos relinquendam, neque corpus interitu eſſe delendum. Hunc Jeſum ſuſcitavit Deus, cujus nos omnes teſtes ſumus. Is Dei dextrâ elatus, & promiſſum ſancti Spiritûs à Patre conſecutus, effudit hoc quod vos nunc videtis & auditis. Neque enim David aſcendit in cœlum, ſed is ipſe loquitur ad hunc modum; Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, donec tuos tibi hoſtes inſtar ſubſellii calcandos tradidero. Hoc igitur pro certo habeat omnis Iſraëlis poſteritas, Dominum & Chriſtum factum à Deo eſſe hunc ipſum Jeſum, quem vos crucifixiſtis. Ju. *O nos impios! quid agemus, viri fratres?* Pe. *Mutate priſtinam mentem, & abluimini cun-*

ti in nomine Jeſu Chriſti, ad remiſſionem peccatorum; & accipietis munus ſancti Spiritûs: ad vos enim pertinet promiſſio, & ad veſtros liberos, & ad omnes remotiores, quoſcunque vocaverit Dominus Deus noſter. Quamobrem habete curam ſalutis veſtræ, & eripite vos ex hoc perverſo hominum genere. Ju. *Bene & liberaliter dicis: & nobis omnino ſic placet. Eluamur.*

Sent. De ſpiritualibus carnaliter judicant carnales.

CLAUDUS. Act. 3. & 4.

ARGUMENTUM.

Claudum ſanant Petrus & Joannes. Deinde concurſu facto populi, Petrus ad populum de Jeſu (in cujus nomine fuerat ſanatus ille) verba facit. Hîc ſuperveniunt ſectæ doctorum, & apoſtolos in vincula dant.

Claudus, Petrus & Joannes, Populares, Sacerdotes & Antiſtites fani, & Sadducæi.

R*Eſpicite hunc miſerum claudum, viri optimi, quem mater claudum peperit, ità ut nunquam ſeſe pedibus potuerit ſuſtinere. Date mihi aliquid honoris & amoris Dei gratiâ, ut vobis Deus ſeſe viciſſim benignum præbeat.* Pe. *Aſpice nos. Neque argentum mihi, neque aurum eſt; ſed quod habeo hoc tibi do. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* C. *O mirum miraculum! Ut mihi roborati ſunt pedes! Ut nunc firmiter incedo! O quàm dulce eſt, conſecutum eſſe bona, quibus carueris! Ago tibi gratias, Deus optime maxime, cujus tanto ſum beneficio ſanatus. Vah! quàm juvat ingredi & ſalire!* Po. *Nónne hic eſt mendicus ille claudus, qui ſolebat pro foribus templi ſedens mendicare?* Al. *Planè is eſt: nec poſſum ſatìs mirari hunc tam expeditè nunc ingredi, qui antea loco ſe movere non poſſet.* Al. *Videor mihi ſomniare. Subſequamur eum: ingreditur*

greditur in porticum Solomonis. Pe. *Quanta huc concurrit multitudo! quid hoc admiramini, viri Iſraëlitæ? aut quid nos intuemini, quaſi privatis viribus, aut pietate effecerimus, ut hic incederet? Deus Abrahami, & Iſaaci, & Jacobi, patrum noſtrorum, illuſtravit puerum ſuum Jeſum, quem vos in conſpectum Pilati adductum repudiâſtis, cùm ille abſolvendum judicâſſet. At vos ſancto innocente repudiato, petiiſtis hominem homicidam vobis condonari, & vita autorem occidiſtis, quem Deus à mortuis excitavit. Cujus nos teſtes ſumus: ejúſque nominis fiduciâ, hic quem videtis & nôſtis, corroboratus eſt, & illius confidentiâ integerrimam valetudinem in veſtro omnium conſpectu conſecutus. Et nunc fratres, ſcio vos per imprudentiam feciſſe, ut etiam veſtros principes: Sed Deus, quæ tot ſuorum vatum voce prædixerat, paſſurum eſſe Chriſtum, ea hoc modo perfecit. Quamobrem revertimini ad ſanitatem, ut deleantur veſtra peccata, donec recreationis tempora veniant à Domino, cùm prænuntiatũ vobis Jeſum Chriſtum mittet: quem oportet cœlo contineri usquè ad tempora inſtaurationis omnium, quæ Deus tot ſuorum ſanctorum voce vatum jam olim prædixit. Moſes enim majoribus noſtris ità dixit; Vatem vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter ex veſtra conſanguinitate, mei ſimilem: ei parebitis ad omnia quæ vobis dicet. Quòd ſi quis vati illi dicto audiens non fuerit, is ex numero hominum tolletur. Eodem modo tam multi vates, qui à Samuele deinceps fuerunt, qui hæc tempora prædixerunt, & tantò antè denuntiàrunt. Vos eſtis ex vatibus orti & in eo fœdere comprehenſi, quod percuſſit Deus cum majoribus noſtris, cùm diceret Abrahamo,*

mo, per ejus ſemen felicitatem conſecuturas omnes orbis terrarum nationes. Ad vos primùm Deus ſuſcitatum puerum ſuum Jeſum miſit, qui vobis felicitatem afferret, ſi modò veſtrûm unuſquiſque à ſuis vitiis deſciſceret. Sad. *Enimvero jam ferendum non videtur, tantam eis licentiam dari, ut populum publicè doceant. Nam quid futurum eſt?* S. *Quid niſi ut, vobis relictis, omnes ad eos tranſeant? Nam quòd reſurrectionem mortuorum per neſcio quem Jeſum futuram prædicant, facilè animos imperitæ multitudinis in ſuam ſententiam pertrahunt.* An. *Itaque maturè occurrendum huic malo eſt. Comprehendite eos, ſatellites, conjicite hos nugatores in vincula. Hâc illi nocte garriant, cras nobiſcum ſeriò diſputaturi: non jam cum indoctis rationem habebunt, quos poſſint facilè ſeducere: ad pontifices eis & principes, & ſenatores, & ſcribas, veniendum erit, qui eorum argutias vehementiùs refutabunt. Nam plebem quidem habent ad omnia ſequacem.*

Sent. Chriſti nomen eſt omnipotens. Veritati ſolent invidere & adverſari docti hujus mundi.

Primates. Act. 4.

ARGUMENTUM.

Petrus & Joannes de ſanato claudo apud primates cauſam dicunt, & illis interdicentibus nè deinceps Jeſum doceant, obtemperaturos negant.

Senatores, Petrus, & Joannes, Primates, Annas, Caiaphas.

Q*Vanam poteſtate, & cujus nomine hoc feciſtis?* P. *Si nos hodie de collato in hominem infirmum beneficio interrogamur, principes populi, & Iſraëlitarũ ſenatores, quanam re ſanatus ſit: hoc vobis omnibus, cunctóque Iſraëlitarum populo, notum eſſe volumus,*

ſanatum eſſe in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, quem à vobis crucifixum Deus à mortuis excitavit. Per eum hic aſtat in veſtro conſpectu ſanus. Hic eſt lapis à vobis ædificantibus rejectus, qui adhibitus eſt ad caput anguli; nec eſt in ullo alio ſalus, nec ullum aliud nomen eſt ſub cœlo hominibus datum, per quod nobis liceat ſervari. Pr. *Hoc ſupra omnia mira mirabile eſt, homines illiteratos & idiotas tam confidenter & ſcitè loqui.* S. *Atqui erant hi Jeſu comites, & hic homo verè ſanatus adeſt. Jubeantur exire pauliſper è concilio, ut hac de re inter nos conſultemus. Exite pauliſper. Quid faciemus hominibus his? Nam, conſpicuum ab eis miraculum editum eſſe, omnibus Hieroſolymæ incolis manifeſtum eſt, nec poſſumus negare.* C. *Ità eſt. Sed nè hæc res in vulgus dimanet latiùs, minemur eis acerrimè, nè ampliùs hoc de nomine cuiquam mortalium verbum faciant. Nam, quâ ratione in eos animadvertamus, non video. Omnis populus hac de re Deum laudat: homo cui tam difficili in re tam præſens auxilium oblatum eſt, annum agit ſupra quadrageſimum, éſtque omnibus notiſſimus.* A. *Bene mones. Intromittantur.* C. *Attendite Galilæi. Interdicitur vobis, nè omnino vocem mittatis, néve doceatis nomine Jeſu.* Pe. & Jo. *Utrùm æquum ſit, & Deo probari poſſit, vobis obtemperare potiùs quàm Deo, vos videritis. Nos quidem non poſſumus, quæ vidimus & audivimus, non dicere.* C. *Vos, niſi malo coacti, rectè facere neſcitis. Sed, niſi parebitis, veſtræ contumaciæ pœnas acerbiſſimas luetis.*

SENTENTIA.

Beneficia divina pro maleficiis habent primates orbis, veritatémque prædicari non patiuntur. Veritatem ſuam

celavit

celavit Deus ſapientes & literatos, eámque patefecit parvulis. Deo magìs obediendum eſt, quàm hominibus.

GAMALIEL. Act. 5.

ARGUMENTUM.

Cùm fuiſſent Petrus & Joannes ex vinculis divinitus liberati, primates, eo cognito, illos evocant: & illi doctrinæ ſuæ cauſam dicunt. Tum Gamalielis ſuaſu dimittuntur.

Apparitores, Antiſtes fani, Quidam, Pontifices, Sacerdotes, Petrus, Gamaliel.

C*Arcerem quidem invenimus clauſum diligentiſſimé, & cuſtodes foris ante januam aſtantes : ſed ubi aperuimus, neminem intus invenimus.* An. *Videor videre rerum naturam inverti. Nunquam hujuſmodi monſtra, nè fando quidem, audita ſunt. Quid? Egreſſóſne eſſe clauſo carcere?* Q. *Homines illi, quos vos in cuſtodiam dediſtis , ſunt in fano , & ibi populum docent.* An. *Hæc ſunt ejuſmodi, ut quemvis de mente dejiciant. Sequimini me, apparitores : adducam eos in concilium.* Po. *Sed ſine vi: etenim concitares in nos vulgi ſeditionem, & ſtatim ad ſaxa veniretur : nam magnum eſt plebis in eos ſtudium.* S. *Niſi providemus, actum de nobis eſt : jam nullo in pretio ſumus, omnium oculi in eos ſunt conjecti. Proſpiciendum aliquâ ratione eſt.* An. *Ecce homines!* Po. *Nónne vos vetuimus iſto nomine docere? Atqui repleviſtis Hieroſolymam doctrinâ veſtrâ : & vultis in nos illius hominis ſanguinem derivare?* Pe. *Parendum Deo magìs eſt, quàm hominibus. Deus majorum noſtrorum Jeſum ſuſcitavit, quem vos in patibulo ſuſpenſum interfeciſtis. Hunc Deus Ductorem & Servatorem ſuâ dextrâ extulit, ut per eum Iſraëlitis ad ſaniorem vivendi rationem reverſis , veniam daret peccatorum. Et nos ſumus ei*

teſtes harum rerum; necnon ſacer ille Spiritus, quo Deus obedientes afflavit. Po. *O audaciſſimos impoſtores! Quid agimus, viri? Quin de his pœnas ſumimus?* G. *Jubete, ſi placet, eos paulisper foras diſcedere. Conſiderate, viri Iſraëlitæ, de hominibus his, quid eis ſitis facturi. Superioribus diebus extitit Theudas quidam, qui ſeſe jactabat eſſe aliquem, cum quo homines ad numerum quadringentorum ſeſe conjunxerunt. Is occiſus eſt, & quotquot ei parebant diſſipati, & ad nihilum redacti. Poſt eum extitit Judas Galilæus, tempore profeſſionis, multúmque ad ſeſe hominum traduxit: ſed & is periit, & omnes qui ei obtemperabant, profligati ſunt. Nunc quoque vos ſummoneo, ut vobis ab his hominibus temperetis, eóſque miſſos faciatis. Nam ſi hoc conſilium & opus ab hominibus eſt, diſſolvetur: ſin à Deo eſt, id diſſolvere non poteſtis, niſi fortè vultis videri Deo repugnare.* An. *Non malè conſulit Gamaliel.* Po. *Ut mihi quidem videtur. Sed evocemus homines, eóſque virgis cædamus, & vetemus ullam Jeſu nominis mentionem facere.*

Sent. Nihil eſt ad veritati credendum durius primoribus hujus mundi. Boni conſiliarii maxima eſt utilitas. Qui Dei operi repugnat, Deo repugnat.

STEPHANUS. Act. 6. & 7.

ARGUMENTUM.

Accuſatus impietatis Stephanus, cauſam dicit tanto ſpiritu, ut ei reſiſtere non valentes Judæorum primi, eum lapident.

Teſtes, Pontifex, Stephanus, Senatores, Scribæ.

H*Ic homo non deſinit impiè contra hunc religioſiſſimum locum, & contra legem loqui. Etenim audivimus eum dicere, Jeſum Nazarenum everſurum* eſſe

eſſe hunc locum; & traditos nobis à Moſe ritus mutaturum. P. *Súntne iſta vera?* St. *Attendite fratres & patres. Deus glorioſus apparuit patri noſtro Abrahamo, cùm eſſet in Meſopotamia, antequam Charræ degeret, eíque mandavit, ut ex ſolo natali digrederetur, venirétque in terram quam ipſe ei oſtenderet. Tum ille ex terra Chaldæa profectus Charræ habitavit, unde eum (mortuo ejus patre) Deus in hanc terram tranſtulit, quam vos nunc incolitis, in qua nullam ei poſſeſſionem tradidit, nè veſtigium quidem pedis: & tamen promiſit, ſeſe ei poſſeſſionem daturum, & ejus poſt eum ſoboli, cùm liberos non haberet. Locutus eſt autem cum eo ad hunc modum; Ejus poſteros peregrinos fore in terra extraneorum, eorúmque ſervitutem & injurias per quadringentos annos perpeſſuros: ſed illam ego gentem cui ſervient (inquit) ulciſcar; exibúntque poſtea, & me hoc ipſo in loco adorabunt: Eámque rem, inito cum eo circumciſionis fœdere, firmavit. Is genuit Iſaacum, eúmque octavo die circumcidit: Iſaacus Jacobum, Jacobus duodecim ſummos patres. Summi patres invidiâ adducti, Joſephum in Ægyptum ducendum vendiderunt. Sed adfuit ei Deus, eúmque ex omnibus anguſtiis eripuit, & effecit ut Pharao Ægypti rex ei ſuâ ſibi ſapientiâ commendato, totius Ægypti, totiúſque ſuæ familiæ principatum traderet: cùm autem ortâ fame in omni Ægypto & Chananæa, patres noſtri in magna eſſent difficultate cibaria; Jacobus, qui audiviſſet frumentum eſſe in Ægypto, eos illò ſemel atque iterum dimiſit: éſtque Joſephus altero itinere à fratribus ſuis agnitus, ejúſque genus Pharaoni declaratum. Tum Joſephus patrem ſuum Jacobum, &*

familiam

familiam omnem ad homines ſeptuaginta quinque acceſivit. Deſcendit igitur Jacobus in Ægyptum: ubi cùm vitam finiviſſet, ipſe & patres noſtri tranſlati ſunt Sichemam, & in ſepulchreto poſiti, quod ibi Abrahamus argenti pretio à filiis Emoris emerat. Interea propinquante promiſſi tempore, de quo Deus Abrahamo juraverat, creſcebat populus in Ægypto multiplici numero: donec extitit rex alius, qui Joſephum non noverat. Is noſtrum genus fruſtrari conatus, patres noſtros eò uſquè afflixit, ut etiam fœtus eorum exponi curaret, nè conſervarentur. Quo quidem tempore natus eſt Moſes, vir Deo acceptus, qui domi paterno tres menſes enutritus, cùm tandem expoſitus eſſet, ſublatus eſt à filia Pharaonis, & ab ea pro filio educatus: fuitque Moſes in omnibus Ægyptiorum diſciplinis eruditus, & dictis factiſque potens. Cúmque jam quadrageſimum ætatis annum compleret, venit ei in mentem, conſanguineos ſuos Iſraëlitas viſere: cúmque vidiſſet quendam injuriâ affici, eum defendit, ejúſque injuriam, cæſo Ægyptio, ultus eſt. Arbitrabatur autem conſanguineos ſuos intelligere, Deum ipſis per ipſum ſalutem dare: quod illi non intelligebant. Poſtero die conſpicatus eos contendentes, pacem inter eos conciliare ſtudebat, conſanguineos eſſe commemorans, Cur alius alii nocerent? Sed qui alteri faciebat injuriam, eum repulit, quærens quis eum principem & judicem in eos conſtituiſſet: num ſe vellet interficere, quomodo pridie interfeciſſet Ægyptium. Ex eo dicto Moſes aufûgit, & in terra Madianitarum peregrinus fuit, ubi filios duos genuit. Peractis autem quadraginta annis, apparuit ei in ſolitudine montis Sina genius

Domini in flamma & ardore rubi. Quo ſpectaculo admiratus, cùm ad viſendum accederet, audita Domini ad eum vox hujuſmodi eſt; Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi. Hîc cùm tremefactus Moſes non auderet intueri, Detrahe tibi (inquit ille) calceos de pedibus: nam locus in quo tu ſtas, ſacer eſt. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto: eorúmque gemitu audito, ad eos liberandos deſcendi. Itaque volo mittere in Ægyptum. Hunc Moſen, quem illi repudiaverant, quærentes quis eum principem & judicem conſtituiſſet: hunc ipſum Deus principem & liberatorem miſit ductu genii, qui ei in rubo apparuerat. Hic eos eduxit, miraculáque fecit & prodigia tum in Ægypto & mari rubro, tum in deſerto, annis quadraginta. Hic eſt Moſes ille, qui dixit Iſraëlitis, Dominum Deum ipſorum vatem eis ex eorum conſanguinitate ſuſcitaturum ipſi Moſi ſimilem, cui parerent. Hic ille eſt, qui in multitudine fuit in deſerto cum genio, qui cum eo locutus eſt in monte Sina, & cum majoribus noſtris, qui vitalem accepit doctrinam, quam nobis traderet: cui noluerunt dicto audientes eſſe majores noſtri: ſed eo rejecto, animis ſeſe in Ægyptum converterunt, & ab Aarone petiverunt, ut ſibi faceret Deos qui ſe antecederent. Nam Moſi illi, à quo eſſent ex Ægypto educti, ſeſe neſcire quid accidiſſet. Itaque vitulum tum fecerunt, & ſacrificium ſtatuæ peregerunt, delectati operibus manuum ſuarum. Et Deus averſus, eos ſivit prolabi ad cultũ aſtrorũ, quemadmodum in vatum monumentis ſcriptum eſt: Nunquid mihi victimas, & ſacrificia obtuliſtis quadraginta annis in deſertis, poſteri Iſraëlis? Annon adhibuiſtis

hibuiſtis tabernaculum Molochi, & ſidus Dei veſtri Romphanis? quæ vos ſimulachra feciſtis ad adorandum: ob quæ ego transferam vos ultra Babylonem. Tabernaculum oraculare habuerunt majores noſtri in deſertis, ſicut præſcripſerat is qui Moſi rationem ejus faciendi oſtendit. Quod ab illis acceptum, eorum ſucceſſores unà cum Joſua introduxerunt, tum cùm invaſerunt in fines earum gentium, quas Deus eorum adventu exterminavit; donec ventum eſt ad tempora Davidis: qui uſus Deo favente, voluit domicilium invenire Deo Jacobi. Solomon autem ædem ei ædificavit. Sed non in templis manufactis habitat ſupremus ille, quemadmodum dicit vates; Cœlum mihi ſedes eſt, & terra pedibus eſt ſcabellum: Quam mihi vos domum extruetis, (inquit Dominus) aut quis mihi locus requietis erit? Nónne mea manus fecit iſta omnia? Pertinaces, & animo & auribus incircumciſi: vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, & vos & majores veſtri. Nam quem illi vatum non ſunt inſectati? Annon eos necuerunt, qui adventum juſti prænuntiaverunt? Cujus vos modò proditores fuiſtis, & interfectores: qui geniorum adminiſtratione acceptam legem non ſervâſtis. Po. *Diſrumpor præ iracundia. Húnccine tam arroganter?* St. *Ecce autem, video cœlos apertos, & Filium hominis Deo ad dextram aſtantem.* Se. & Sc. *O impudentiam! Quid eum audiamus ampliús? Invadamus eum univerſi, ejiciamus eum ex urbe. Agite, jam lapidetur. Vos teſtes; veſtrum eſt, initium facere lapidationis, ſuſtinete partes veſtras.* T. *Nos verò perlibenter. Atque ut ſimus expeditiores, hîc apud te, adoleſcens, veſtimenta noſtra deponemus.* Sc. *Quid cunctamini?*

mini? Ferite, ferite, etiam atque etiam geminate. Vos omnes cooperite hunc lapidibus, conjicite univerſi, jacite grandine denſiùs. St. *Domine Jeſu accipe ſpiritum meum.* Scr. *Properemus, obruamus eum lapidibus.* St. *Domine, noli in hos vindicare hoc facinus.*

Sent. Veritatem impietatis loco habent rectores hujus ſeculi. A quibus veritate vincuntur, eis vim inferunt. Sic pugnant rectores tenebrarum hujus mundi.

CORNELIUS. Act. 10.

ARGUMENTUM.

Accerſitus à Cornelio Centurione Petrus, eum de Jeſu docet, & in ejus nomine lavat.

Cornelius, Petrus.

A*Udivi modò intus advenire eum, quem curavi accerſendum. Itaque ei exeo obviàm. O ſalve multùm mi.* P. *Ah! quid agis? Surge, quid me ità accidis? Ego quoque homo ſum: nè tu me divinis honoribus afficias. Ingrediamur. Quinam ſunt iſti, quos hîc conveniſſe video?* C. *Mei ſunt cognati & neceſſarii atque amici, quos huc juſſi convocari.* P. *Vos ſcitis, ut nefas ſit homini Judæo hærere, aut congredi alicui extero. Sed me Deus docuit neminem profanum aut immundum cenſere hominem. Quamobrem accerſitus, nihil dubitavi venire. Nunc ſcire velim quam ob cauſam me accerſiveritis.* C. *Quarto abhinc die, ad hanc horam eram jejunus, & domi meæ horâ nonâ precationes faciebam. Ecce autem vir quidam extitit in meo conſpectu, veſte ſplendidâ, &, Tua, inquit, precatio, Corneli, exaudita eſt, tuáque miſericordia & benignitas Deo in memoria inſedit. Mitte ergò Joppen, accerſitum Simonem cognomine Petrum; (is diverſatur apud Simonem coriarium ad mare) qui ubi advenerit, colloquetur tecum. Ego continuò miſi ad te, & tu rectè*

feciſti,

fecisti, quòd venisti. Nunc nos omnes in Dei conſpectu adſumus, ad audienda omnia tibi à Deo mandata. P. *Reipsâ comperio, nullum Deo perſonarum eſſe diſcrimen, contráque apud omnes nationes, qui eum metuunt, vitámque innocenter inſtituerunt, ei eſſe acceptos. Omnium ſumma eſt in diſciplina, quâ curavit erudiendos Iſraëlitas, quos læto pacis nuntio affecit per Jeſum Chriſtum. Vos ſcitis quæ res acciderit per totam Judæam uſquè à Galilæa, poſt lotionem quam publicavit Joannes: de Jeſu loquor Nazareno, ſacro Dei numine, & potentiâ prædito: qui ultrà citráque commeans, multa multis beneficia conferebat, omnéſque ſanabat, quotquot à Vejove illo divexabantur: quippe cùm Deus ei adeſſet. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit cùm in reliqua Judæa, tum Hieroſolymis. Quem ipſi Judæi palo affixum ſuſtulerunt, eum Deus tertio die in vitam revocavit, & manifeſtò oſtendit, non vulgo, ſed nobis deſignatis divinitus teſtibus, qui quidem cibum potionémque ſumpſimus cùm eo poſtquam à morte revocatus eſt. Ac munus ab eo aſſignatum habemus, ut vulgo prædicemus & teſtificemur, eum viventium eſſe mortuorúmque judicem à Deo deſtinatum. Hunc omnes vates teſtantur eum eſſe, per cujus nomen veniam peccatorum conſequantur, quotquot ei confidunt. Sed quid hoc novæ rei eſt? Numine corripiuntur omnes qui me audiunt, & jam diverſis linguis loqui incipiunt. Nunquid cauſa eſt cur minus aquâ abluantur, qui eodem nobiſcum numine afflati ſunt? Abluantur ſanè nomine Domini.*

Sent. Nullius conditionis hominem non admittit Chriſtus. Apud omnes nationes, quicunque Deum metuunt innocentérque vivunt, Deo accepti ſunt.

CIRCUMCISI. Act. II.

ARGUMENTUM.

Reprehenſus à Chriſtianis Judæis Petrus, quòd cum Cornelio extraneæ gentis homine congreſſus fuiſſet, cauſam dicit, & obtinet.

Chriſtiani, Petrus.

NOs quidem factum tuum probare nullo pacto poſſumus, ut liberè loquamur. P. *Quodnam id eſt tandem?* C. *Quòd homines præputio præditos conveniſti, & cum eis cibum cepiſti.* P. *Si vobis videtur, rem omnem, prout ſeſe habet, enarrabo: vos eâ auditâ judicabitis.* C. *Placet: enarra.* P. *Cùm in oppido Joppa orarem, viſus ſum mihi videre (cùm eſſem extra me raptus) vas quoddam deſcendens, quaſi linteum magnum, quod quatuor capitibus de cœlo demiſſum, ad me uſquè pervênit. Id cùm attentius contemplarer, vidi quadrupedia terreſtria, & feras, & reptilia, & aëreas volucres, ſimúlque vocem audivi dicentem mihi; Agè Petre, macta & veſcere. Tum ego: Minimè, Domine: nihil enim unquam immundum aut impurum per os meum intravit. At illa vox iterum de cœlo inquit, Quæ Deus purgavit, tu nè pollue. Idque ter factum eſt: & tum demum omnia in cœlum ſubducta ſunt. Tum continuò præſtò fuerunt tres homines in ea domo, in qua eram, ad me Cæſareâ miſſi. Cum his ut abjectâ omni cunctatione congrederer, divino afflatu admonitus ſum. Fuerunt unà mecum ſex fratres hi, ac nobis hominis domum ingreſſis renuntiavit ille, ut genium domi ſuæ vidiſſet aſtantem & ſibi præcipientem, ut mitteret Joppen homines, qui accerſerent Simonem cognomine Petrum: ex quo ea audiret, quæ & ipſi eſſent & ipſius toti familiæ ſalutaria. Hîc cùm ego loqui cœpiſſem,*

ſem, illi divino afflatu correpti ſunt, quemadmodum & nos fuimus principió. Tum recordatus ſum illud Domini dictum, quo dixerat; Joannem quidem abluiſſe aquâ, ſed nos Spiritu ſacro ablutum iri. Quòd ſi eodem illos munere affecerat Deus, quo nos, cùm in Jeſu Chriſti Domini fidem veniſſemus: ego quis eram ut poſſem obſiſtere Deo? Ch. *Jam nihil addimus: ſed gratias Deo agimus, qui etiam exteris per vitæ caſtigationem aditum ad vitam patefecerit.*

Sent. Imitanda eſt Petri modeſtia, qui quod divino juſſu fecerat, ejus tamen cauſam hominibus reddere non dedignatur. Quos Deus admittit, eos repudiare nemo debet.

RHODE. Act. 12.

ARGUMENTUM.

Eductus divinitus ex carcere Petrus, Chriſtianis narrat quemadmodum fuerit eductus.

Petrus, Rhode, Chriſtiani.

A*Perite mihi has fores aliquis.* R. *Neſcio quis pulſat oſtium, proviſo quis ſit.* P. *Ecquis mihi aperit tandem?* R. *Petrus eſt, Petrus eſt. O me felicem! ô populares, ſalvi ſumus: Petrus præ foribus veſtibuli ſtat.* C. *Inſanis.* R. *Minimè veró. Agnovi ejus vocem.* C. *Genius ejus eſt.* P. *Heus, heus, an expectatis dum ego haſce effringam fores?* R. *Non auditis eum pulſantem?* C. *Aperiamus. O mirum miraculum! Túne ergò verus ades Petrus?* P. *Pax ſit rebus. Audite ut me Dominus eduxerit è carcere. A quater quaternis militibus per vices cuſtodiebar. Cúmque hac nocte dormirem inter duos milites, vinctus duabus catenis, carcerémque cuſtodirent ante januam cuſtodes, ecce adeſt genius Domini, cujus in adventu domus ſplendore illuſtrata eſt. Is me pulſato latere expergefactum juſſit*

ſurgere

ſurgere confeſtim, continuóque mihi è manibus exciderunt catenæ. Tum ille, Præcinge te, inquit, & indue ſandalia. Atque ità feci, juſſúſque amicire pallium, & eum ſequi, parebam; cùm jam egreſſus nondum intelligerẽ rem veram agi, ſed mihi viſum cernere viderer. Et jam prætergreſſi primos & ſecundos cuſtodes, venimus ad portam ferream, quà itur in urbem: quam ultrò nobis patefactam egreſſi, proceſſimus vicum unum; atque ibi me reliquit ille. Tum ego, ubi ad me redii, apertè intellexi, eum à domino miſſum eſſe ad me ex Herodis manu, & tantâ Judæi populi expectatione, eripiendum. Hæc vos Jacobo & fratribus nuntiabitis. Mihi aliò concedendum eſt.

Sent. Deum nulli carceres, nullæ catenæ prohibent, quò minùs liberet ſuos. Quos liberare vult Deus, tenere nemo poteſt.

PHILOSOPHI. Act. 17.

ARGUMENTUM.

Paulûs Athenis de Deo, & Chriſto, & reſurrectione locutus, à Philoſophis deridetur: à Dionyſio Areopagita admittitur.

Stoici, Epicurei, Paulus, Dionyſius.

P*Oſſumúſne ex te ſcire, quæ ſit iſta tam nova doctrina quam affers? Nam inaudita quædam noſtris auribus affers, Jeſum, neſcio quem novum Deum, & alteram vitam prædicans. Hæc qualia ſint, velimus ex te diſcere.* P. *Video vos animo, Athenienſes, paulo ſuperſtitioſiores. Nam cùm præteriens veſtra ſpectarem ſacra, aram quoq; offendi in qua inſcriptum erat,* Ignoto Deo. *Eum vobis ego Deum, quem ignorantes colitis, annuntio. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo conſtant, cùm ſit cœli terræquè Dominus, non habitat in templis manu factis: nec hominum manibus colitur,*

quaſi ullâ re egeat, qui ipſe omnibus vitam, ſpiritum, omnia denique conferat: quique ductum ex unius ſanguine omne hominum genus, in omni terra ſolo collocaverit: quibus ſtata vivendi tempora, certóſque inhabitandi terminos præfinivit, ut ſuum Dominum quærerent, ſi fortè perveſtigare & invenire eum poſſent: cùm tamen non procul abſit ab unoquoque noſtrûm; cùm in eo vivamus, moveamur, & ſimus: ut quidam etiam veſtrorum poëtarum dixerunt, Ejus enim genus ſumus. Quòd ſi genus ſumus Dei; non debemus exiſtimare, auro, aut argento, aut lapidi arte & induſtriâ humanâ cœlato, numen eſſe ſimile. At nunc omiſſis ignorantiæ temporibus, Deus omnibus ubique hominibus denuntiat, ut vitam corrigant. Statuit enim diem, in quo univerſos homines cum ſumma æquitate judicaturus eſt, per virum quendam, per quem id facere decreverat: quem dum à morte revocavit, certam ejuſdem conditionis adipiſcendæ ſpem fecit omnibus. E. *Feſtivum nugatorem, qui hîc nobis homines morti eripit!* S. *De hoc ſatìs in præſentia: aliàs te de eadem re audiemus.* D. *At ego ità affectus ſum tuâ oratione, peregrine, ut jam nihil dubitem quin ità ſit: ſtatuíque à te non diſcedere (ſi tibi moleſtum non eſt) niſi iſtâ doctrinâ quantum ſatìs eſt inſtructus.* P. *Mihi verò nihil jucundius fieri poteſt, quàm & tecum & cum omnibus ità animatis ea communicare, quæ divinitus edoctus, paſſim divulgare ſum juſſus.*

Sent. Mundana ſapientia divinam pro ſtultitia habet. Deus ex ſuis operibus, ſicut opifex, cognoſcitur.

LYSIAS. Act. 21.

ARGUMENTUM.

Comprehenſus in templo Paulus à Judæis, illis eripitur à

Lyſia

Lyſia tribuno, ejúſque permiſſu apud Judæos cauſam dicit. Sed, illis tumultuantibus, Lyſias eum virgis cædi jubet: verùm, ubi civem Romanum eſſe cognovit, ſolvit.

Judæi, Lyſias, Paulus, Centurio.

SUccurrite, viri Iſraëlitæ. Hic eſt homo ille qui contra populum, legem, & locum hunc omnes ubique docet. Quinetiam Græcos introduxit in ſacrum, et ſanctum hunc locum profanavit. Al. *Extrahamus eum è fano, interimamus eum. Quid expectamus? Jampridem debuit interfici. Quodſi factum eſſet, has turbas evitâſſemus.* Al. *Vapula, homo ſeditioſe. Hîc nos te ictibus trucidabimus. Hem tibi.* Al. *Deſinamus hunc verberare, populares: nam video huc venire tribunum cum militibus.* L. *Unde tam ſubitò tanta orta eſt ſeditio? Eho! hiccine in cauſa eſt? Comprehendite hunc, milites, & ei injicite catenas. Quiſnam eſt? Aut quid fecit? Tacete, clamoſi homines. Poſſúmne ex vobis ſcire, quidnã commiſerit? Alius aliud neſcio quid clamat. Nihil intelligo. Abducatur in caſtra. Quæ (malúm!) hæc tanta violentia eſt? Hîc jam, credo, opprimemur in turba.* J. *Interime eum.* P. *Licétne mihi te alloqui?* L. *Sciſne Græcè? Nónne tu es Ægyptius ille, qui ſuperioribus diebus concitatâ ſeditione, eduxiſti in ſylvas illa quatuor millia hominum ſicariorum?* P. *Ego homo ſum Judæus, Tarſenſis, civis non obſcuræ Ciliciæ civitatis. Sed oro te, permitte mihi ad populum loqui.* L. *Permitto.* P. *Audite meam hanc ad vos defenſionem, fratres & patres. Ego homo Judæus ſum, Tarſi in Cilicia natus, & in hac urbe educatus ad pedes Gamalielis, patriis legibus accuratè inſtitutus, & Dei cupidus, quemadmodum vos omnes eſtis hodie: qui hanc vivendi viam*

ſum capitaliter inſectatus, viros ſimul & mulieres conſtringendo, & in carcerem conjiciendo. Teſtis eſt mihi pontifex, totúſque ſenatus, à quibus etiam epiſtolas ad fratres acceperam, & Damaſcum proficiſcebar, eos quoque qui ibi eſſent, vinctos Hieroſolymam ad ſupplicium adducturus. Sed in eo itinere cùm appropinquarem Damaſco, circiter meridiem, repentè de cœlo multa me lux circumfulſit: & collapſus ad terram, vocem audivi dicentem mihi, Saule, Saule, quid me inſectaris? Tum ego: Quis es Domine? Atque ille: Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu inſectaris. Qui autem mecum aderant, lucem viderunt illi quidem, & territi ſunt, ſed vocem non audiverunt alloquentis me. Tum ego: Quid agam, Domine? Et Dominus, Surge, inquit, & proficiſcere Damaſcum. Ibi tibi dicentur omnia quæ te facere ſtatutum eſt. Cúmque præ lucis illius ſplendore non viderem, manu ductus à meis comitibus, pervêni Damaſcum. Ananias autem quidam vir pius, & legi convenienter vivens, teſtimonio omnium illìc habitantium Judæorum, venit ad me, & aſtans mihi, Saule frater, inquit, aſpice. Cúmque ego eodem temporis veſtigio in eum intuitus eſſem, Deus patrum noſtrorum (inquit ille) deſtinavit te ad cognoſcendam ejus voluntatem, & ad juſtum videndum, vocémque ex ejus ore audiendam: quoniam teſtis ei futurus es apud omnes homines, earum rerum quas & videris & audiveris. Et nunc quid cunctaris? Agedum abluere, & invocato Domini nomine peccata tua elue. Reverſo autem mihi Hieroſolymam, & in templo oranti accidit, ut, extra meipſum raptus, viderem eum dicentem mihi; Propera, & Hieroſolymâ celeriter exi: non accipient

ent enim tuum de me teſtimonium. Cui ego, Domine, inquam, ſciunt ipſi ut ego ſolitus ſim in cuſtodiam dare, & per collegia virgis cædere eos qui tibi confiderent: ùtque, cùm tui teſtis Stephani ſanguis effunderetur, ego adeſſem, & ejus neci conſentiens, veſtimenta cuſtodirem eorum qui eum interficiebant. Tum ille, Vade, inquit: nam ego te ad procul remotas gentes amandabo. JU. *Tolle iſtum ex orbe terrarum: neque enim convenit eum vivere.* L. *Nihil unquam tale vidi. Neceſſe eſt graviorem aliquam eſſe cauſam quæ univerſum populum in hunc commoveat. Neque enim ità clamarent, & veſtes diſcinderent, pulverémque in aërem jacerent. Hæc non ſolent ſine maxima cauſa fieri. Milites, intromittite eum in caſtra, & virgis cogite cauſam fateri, propter quam ità in eum clametur.* C. *Fiet. Diſpolietur jam, & funibus deligetur.* P. *Licétne vobis hominem Romanum indemnatum verberare?* C. *Vide quid agas, Lyſia: nam hic homo Romanus eſt.* L. *Itáne? Adibo eum. Dic mihi, éſne Romanus?* P. *Etiam. Ego ipſe magno pretio in iſtam civitatem ſuſceptus ſum.* P. *At ego natus ſum.* L. *Deſiſtite milites: jam ſatìs ſupérque factum eſt.*

Sent. Iniqui homines veritatem vi opprimere conantur. Pellitur è medio ſapientia, ubi vi res geritur. Romana civitas plus habet autoritatis apud homines, quàm Chriſtiana. Sic fit & hodie. Si cujus præpotentis civitatis aut principis autoritate commendêris, locum ubique invenies: ſin nihil niſi juſtitiam habeas, viliſſimus eris.

ANANIAS. Act.23.

ARGUMENTUM.

Paulus vinctus Ananiam pontificem acerrimè reprehendit, ut exlegem. Deinde dicens ſe ſperatæ reſurrectionis reum, Phariſæos & Sadducæos inter ſe committit, & ab illis adverſus hos defenditur.

Paulus, Ananias, Aſſiſtentes, Lyſias, Sadducæi, Phariſæi.

FRatres, ego ad hoc tempus, Deo conſcio, optimè mihi conſcius fui. An. *Percutiatur ei os.* P. *Percuſſurus eſt te Deus, paries incruſtate. Ergò tu ſedes, ut de me ex lege judices; et contra legem jubes me pulſari?* Aſſ. *Pontifici Dei convitiaris?* P. *Neſciebam, fratres, eum eſſe pontificem. Scriptum eſt enim, Principi populi tui nè maledicito. Verùm audite, fratres, qui in hoc concilio adeſtis. Ego Phariſæus ſum, Phariſæi filius, ſperatæ reſurrectionis mortuorum reus ſum.* S. *Lepidum nugatorem! hoc ſe modo evadere poſſe ſperat.* Ph. *Non malè loquitur: nihil in eo mali video. Quòd ſi Spiritus cum eo locutus eſt, aut aliquis Genius; nè Deo repugnemus.* S. *Ideo eum defenditis vos, quia ſe vobiſcum ſentire clamat.* Ph. *Nos eum ideo defendimus, quia defenſione dignus eſt. Quid enim commiſit? Vultis opprimere inſontes?* S. *Imò vos vultis tueri ſontes?* L. *Videndum nobis eſt, nè hic ab iſtis diſcerpatur. Tu jube huc deſcendere exercitum, ut eis eripiatur, & in caſtra abducatur.*

Sent. Injuſtus judex, incruſtatus paries. Piis proſunt interdum adverſariorum inter ſe controverſiæ, quemadmodum inter ſe rixantibus canibus evadunt homines. Si quãdo tuetur ſimulator piũ, id magis ſui, quàm æqui amore facit.

NEPOS PAULI. *Act.* 23.

ARGUMENTUM.

Lyſias à Pauli nepote de Judæorum in Paulum conjuratione certior factus, copias parandas curat, quæ Paulum ad Felicem prætorem tutò perducant.

Centurio, Lyſias, Nepos Pauli.

PAulus, is qui eſt in vinculis, me evocatum rogavit, ut hunc ad te adoleſcentulum adducerem: habere enim eum aliquid ad te.* L. *Cedo mihi manum, adoleſcentule.*

ſcentule. Dic mihi hîc in oculto, quid habeas quod velis mihi enuntiare. N. *Judæi conſtituerunt petere à te, ut cras in concilium educas Paulum, quaſi aliquid diligentiùs in eum quæſituri. Sed tu noli eis obtemperare: nam inſidiantur ei homines ex eis ſupra quadraginta, qui ſeſe devoverunt, ſi vel comederent, vel biberent, quin eum interfeciſſent. Et nūc parati tuum mandatum expectant.* L. *Laudo te, quòd me ſcitè admonuiſti. Diſcedes hinc, & nemini hæc indicabis, quæ mihi demonſtraviſti. Vos duo Centuriones, paratos habete milites ducentos qui Cæſaream proficiſcantur, & equites ſeptuaginta, haſtatóſque ducentos, ad horam tertiam noctis; et jumenta adhibete, ut eò impoſitum Paulum ad Felicem prætorem perducant. Ego ad eum epiſtolam ſcribam.*

Sent. Ficti homines piis pertinaciſſimè inſidiantur. Sæpe minus eſt in gentilibus iniquitatis, quàm in iis qui ſe Dei populum gloriantur.

TERTULLUS. Act. 24.

ARGUMENTUM.

Paulum accuſat Tertullus orator, apud Felicem prætorē. Paulus crimina diluit. Felix cauſæ cognitionē differt in adventū Lyſiæ tribuni, Paulúmq; jubet remiſſiùs cuſtodiri.

Felix præſes, Tertullus orator, Paulus, Concio Judæorum.

ADeſt hîc reus ille Paulus, Anania pontifex, & vos ſeniores: ſupereſt ut veſter orator accuſet. T. *Quòd maximâ pace per te fruimur, quódque tuâ prudentiâ hæc provincia rectè adminiſtratur, nobis omnino gratiſſimum eſt, optime Felix, & agimus gratias quas poſſumus maximas. Sed nè tibi diutiùs ſim moleſtus, quæſo ut nos pro tua æquitate paucis audias. Invenimus hominem hunc peſtilentem & ſeditiones omnibus ubiq; terrarum Judæis concitantem, ac ſectæ Nazarenorum principem, eúſque ut etiam fanum profanare*

nare conatus ſit. Eum nos comprehenſum voluimus ex noſtra lege judicare. Sed interceſſit Lyſias tribunus, eúmque magnâ vi è manibus noſtris eripuit, ac juſſit ut ejus accuſatores apud te adeſſent. Ex quo quidem Lyſia poteris, ſi quærere voles, certior fieri de omnibus criminibus de quibus nos hunc inſimulamus. Atque hæc ità ſe habere, teſtis eſt univerſa Judæorum, quos adeſſe vides, concio. C. *Ità eſt.* P. *Licétne mihi cauſam dicere?* F. *Licet.* P. *Equidem eò confidentiùs pro me dico, quòd ſcio te multos jam annos huic genti jus dicere: ut poſſis intelligere, me non plures duodecim compleviſſe dies, ex quo Hieroſolymam ad divinum cultum conceſſi. Neque verò me in templo invenerunt cum aliquo colloquentem, aut vulgi ſeditionem facientem, neque in collegiis, neq; oppidatim: nec me eorum poſſunt convincere, de quibus accuſant. Illud autem libenter apud te confitebor, me ex inſtitutione, quam ſectam dicunt, Deum colere patrium, fidémque adjungere omnibus quæ in diſciplina noſtra & vatibus ſcripta extant: tantúmque mihi de Deo ſpondere, ut exploratum habeam, mortuos tum bonos, tum improbos, aliquando revicturos: id quod nè ipſi quidem non ſperant. Atque equidem in id incumbo, ut rectam conſcientiam Deo ſemper hominibúſque probare poſſim. Veneram autem poſt annos complures, ut muneribus egeſtatem nonnullorum meorum popularium allevarem, ac ferta libarem: cùm me expiatum offenderunt in fano, nulla cum turba, aut tumultu, quidam ex Aſia Judæi; quos oportebat apud te præſtò eſſe, & accuſare, ſi quid in me haberent. Aut etiam hi, ſi quod deprehenderunt in me crimen, dicant ſanè, dum adſto in concilio. Niſi fortè*

criminoſa

criminoſa eſt una hac vox quam inter eos ſic clamavi: Ego hodie à vobis reus agor defenſa mortuorum reſurrectionis. F. Jam finem facite. Cùm Lyſias tribunus venerit, cognoſcam de veſtra cauſa. Interea tu Centurio, Paulum cuſtodi, ità ut remiſſiùs habeatur: néve aliquis neceſſariorum ejus aditu aut famulatu prohibeatur.

Sent. Veritatis profeſſionem, ſeditionem interpretatur calumnia. Calumniatores modò ementiendo, modò torquendo, nihil candidè dicunt. Calumniatoribus calumnia impunè eſt, inſontibus innocentia non item. O judices, ubínam dormit lex talionis?

FESTUS. *Act.* 25, & 26.

ARGUMENTUM.

Paulus ad Agrippam regẽ cauſam dicit: in qua de ſua legatione, mortuorúmque reſurrectione diſſerit. Feſtus præſes eum inſanum appellat. Agrippa inſontem judicat.

Feſtus præſes, Agrippa rex, Paulus.

VIdetis hunc hominem, Agrippa rex, & omnes viri qui hîc adeſtis, de quo omnis me Judæorum multitudo, tum Hieroſolymis, tum hîc interpellavit, clamans, indignum eſſe eum vivere ampliùs. Ego verò cùm comperirem nihil eum capitale admiſiſſe, & ipſe ad Auguſtum provocaviſſet, ſtatui mittere: & tamen quid certi de eo ſcribam ad dominum, non habeo. Ea de cauſa produxi eum ad vos, & maximè ad te, rex Agrippa, ut re diſquiſitâ habeam quod ſcribam. Abſurdum enim mihi videtur, mittere vinctum; neque crimina, quæ ei imponuntur, ſignificare. A. *Liberum eſt tibi pro te ipſo dicere.* P. *Quòd omnia, de quibus à Judæis poſtulor, hodie ſum apud te, rex Agrippa, defenſurus, hominem Judaïcarum conſuetudinum atque controverſiarum vel in primis peritum, equidem beatum*

tum me exiſtimo. Quamobrem oro te ut me æquo animo audias. Ac meam quidem actam ab ineunte ætate vitam (principio enim verſatus ſum Hieroſolymis inter meos populares) nôrunt omnes Judæi, jamdiu ſcientes (modò velint fateri) me vixiſſe Phariſæum, quæ exactiſſima noſtræ religionis ſecta eſt. Et nunc hîc ſto reus ſperatæ præſtationis eorum, quæ majoribus noſtris à Deo promiſſa ſunt: quò quidem ſe perventuras duodecim tribus noſtræ, Deum noctes diéſque aſſiduè colendo, ſperant. De hac ſpe, rex Agrippa, à Judæis accuſor. Itáne verò incredibile apud vos judicatur, à Deo mortuos excitari? Equidem ſtatueram multa mihi contra Jeſu Nazareni nomen eſſe facienda: itáque feci Hieroſolymis, multóſque ſanctos per poteſtatem, quæ mihi à pontificibus permiſſa erat, in carceres concluſi, & capite meâ ſententiâ damnavi. Quin eos per omnia collegia tormentis ſæpe cogebam nefaria dicere: jámque immodicè in eos furens, perſequebar etiam ad exteras urbes. Cúmque aliquando proficiſcerer Damaſcū, cum poteſtate mihi à pontificibus permiſſa, die medio, rex, in itinere vidi de cœlo ſolis ſplendore majus lumen, quod me meóſque comites circumfulſit. Cúmque omnes ad terram corruiſſemus, vocem audivi affantis me, & Hebræo ſermone dicentis, Saule, Saule, quid me inſectaris? Durum tibi fuerit contra ſtimulos calcitrare. Tum ego, Quis es, inquam, Domine? Ego ſum, inquit ille, Jeſus, quem tu infeſtas. Verùm ſurge, & conſiſte in pedes. Nam eò tibi apparui, ut te, miniſtrum & teſtem conſtituam eorum quæ vidiſti, quæque tibi demonſtrabo, vindicando te à populo & gentibus ad quas te nunc mitto, ad eorum oculos aperiendos, ut

è tenebris

è tenebris in lucem, & ex Satanæ poteſtate ad Deum ſe convertant, & ità peccatorum veniam conſequantur, & ad eandem cum eis ſortem perveniant, qui, quia in fidem meam venerunt, ſancti facti ſunt. Nec ego, rex Agrippa, cœleſti viſioni non fui dicto audiens: quin primùm eis, qui Damaſci erant, & Hieroſolymis, pérque omnem Judææ regionem, necnon ipſis gentilibus, correctionem vitæ denuntiarem, & exhortarer, ut ad Deum ſeſe converterent, & vitæ correctionem factis oſtenderent. Hâc me causâ Judæi in fano comprehenſum, conabantur interficere. Sed divino præſidio ad hunc uſquè diem ſteti, parvos juxtà ac magnos commonefaciens, neque quicquam dicens extra ea, quæ tum cæteri vates tum Moſes futura antè denuntiaverunt: Chriſtum videlicet eſſe mortem paſſurum, primúmque ex mortuis in vitam revocatũ, lucem populo & gentibus nuntiaturum. F. *Inſanis, Paule: Nimiæ te literæ ad inſaniam redigunt.* P. *Non inſanio, optime Feſte: ſed veracis & ſobrii hominis verba profero. Scit rex, ad quem confidenter loquor, ut quem nihil horum latere putem: neq; enim in tenebris geſtum eſt. Credíſne, rex Agrippa, vatibus? Credis, ſcio.* A. *Propemodum mihi perſuades, ut Chriſtianus fiam.* P. *Deus faciat, ut non propemodum, ſed planè, non ſolùm tu, ſed etiam omnes qui me audiunt hodie, fiant tales, qualis ego ſum; exceptis his vinculis.* F. *Surgamus: diſcedamus hinc. Hic homo mihi videtur nihil morte dignum aut carcere commiſiſſe.* A. *Poterat abſolvi, niſi provocaviſſet ad Cæſarem.*

Sent. Vera ſapientia ſtultorum judicio inſania eſt. Licet interdum ex calumniatorum mente magìs quàm verbis crimina diluere. Neque enim nominatim accuſabatur Paulus de reſurrectione mortuorum: ſed cùm eſſet in ipſius

doctrina

doctrina (quæ ei crimini dabatur) etiam reſurrectio, ſervivit non injuſtè cauſæ ſuæ.

JUDEX. Matt. 25.

ARGUMENTUM.

Chriſtus in ultimo adventu ſuo de bonis maliſque ſententiam pronuntiat.

Jeſus judex, Dextri, Siniſtri.

VEnite beati Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab orbe condito. Nam cùm eſurirem, dediſtis mihi comedere; cùm ſitirem, bibere: hoſpitem me accepiſtis, nudum veſtiviſtis, agrum viſitaviſtis, in cuſtodiam datum inviſiſtis. D. *Domine, quando te vidimus eſurientem, ut aluerimus? aut ſitientem, ut potum dederimus? Quando autem hoſpitem, ut acceperimus? aut nudum, ut veſtiverimus? Quando agrum aut in vinculis, ut inviſerimus?* Je. *Credite mihi, quatenus minimo horum fratrum meorum feciſtis, mihi feciſtis. Vos autem abite à me, execrabiles, in ignem æternum, Vejovi, ejúſque geniis paratum: qui me neque eſurientem cibo, neq; ſitientem potione refeciſtis; hoſpitem non ſuſcepiſtis, nudum non veſtiviſtis, infirmum & in carcerem conjectum non inviſiſtis.* S. *Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, neque ſubvenimus?* Je. *Credite mihi, quatenus horum minimo non feciſtis, mihi non feciſtis.*

SENTENTIA.

Pro ſuis quemque factis remunerabitur Chriſtus. Quod cuivis Chriſtianorum fit, id ipſi Chriſto fit.

FINIS.

Decem Dei Præcepta, & alia deinceps ſequentia quæ ad Reipub. inſtitutionem pertinent, ex Exod. cap. 20, & reliquis.

DEus hac omnia Iſraëlitis ad hunc modū effatus eſt. Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio ſervitutis Ægyptia.

1 *Deos alios nullos, præter me, habeto.*

2 *Simulacbrum ullius rei, quæ extet aut ſuprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis ſub terra, nè facito, néve ea venerator, néve colito. Nam egò ſum Jehova Deus tuus, Deus impatiens ſocii: qui parentum culpam etiam in liberos perſequor, vel ad tertiam uſq; quartámque ſtirpem oſorum mei: clementiâque utor ad milleſimam uſque ſtirpem erga mei amantes, meáque præcepta conſervantes.*

3 *Jehovæ Dei tui nomen inaniter nè adhibeto: neque enim ſinet impunitum Jehova, qui ejus nomen inaniter adhibuerit.*

4 *Diem Sabbati ſanctè agere memento. Sex diebus agito, tuáq; opera omnia patrato: Septimo autem die, quod Jehovæ Dei tui Sabbatum eſt, nullum opus facito, neu tu, neu tuus filius, aut filia, neu tuus ſervus, aut ancilla, neu tuum jumentum, neu apud te degens peregrinus. Nam cùm ſex diebus feciſſet Jehova cœlum, terram, mare, quæquè in eis ſunt omnia, feriatus eſt die ſeptimo: qua de cauſa Jehova diem Sabbati fauſtum ſacrúmque fecit.*

5 Pa-

5 *Parentem utrumque honorato, ut diu ætatem producas in terra, quam tibi Jehova Deus tuus donat.*

6 *Nè hominem occidito.*

7 *Nè adulterato.*

8 *Nè furator.*

9 *Falſum teſtimoniū contra alterū nè dicito.*

10 *Alterius domum nè concupiſcito: alterius uxorem nè concupiſcito; néve ſervum, aut ancillam; néve bovem, aut aſinum: nihil denique quod ſit alterius. Hîc univerſus populus, viſis fragoribus, fulgetris, tubæ ſonitu, & montis fumo, perterriti abſcedere, & procul ſtantes à Moſe petere, ut ipſe eis audientibus loqueretur, non Deus, nè emorerentur. Quibus Moſes, Nè metuite, inquit: nam ad vos tentandos venit Deus, útque vos ejus timor ob oculos propoſitus à peccādo deterreat. Igitur procul ſtante populo acceſſit ad illam caliginem ubi Deus erat. Et Jehova Moſi ſic fatus eſt: Commemorato Iſraëlitis, ut me ſecum de cœlo viderint loquentem, nè præter me deos ſibi argenteos aut aureos fabricentur. Sed mihi caſpititium altare fiat, in quo ſolida ſacrificia & pro ſalute balantibus bubúſve faciatis, quocunque in loco mei nominis monumentum poſuero, ibi vos auditurus, & proſperaturus. Quòd ſi mihi altare lapideum fiet, nè ex quadrato lapide excitatote: nam id ferramenta admovendo profanaretis. Néve per gradus ad meum altare aſcenditote, nè in eo obſcœna veſtra appareant.*

Hæc

Hæc autem eis jura propones: Si emeris ſervum Hebræum, ſex annos ſervito; ſeptimo autem anno manumittitor gratuitó. Si cœlebs venit, cœlebs manumittitor: ſin maritus, uxor cũ eo manumittitor. Si Dominus ei uxorem dederit ex qua filios aut filias procreaverit, fœmina & nati domini ſunto: ipſe ſolus manumittitor. Quòd ſi ſervus captus amore ſui domini, & uxoris & filiorum, noluerit manumitti, eum dominus ad recuperatores adducito, eique ad valvam aut ad poſtem applicato aurem ſubulâ perforato, & ille ei perpetuum ſervito.

Si quis filiam ſuam vendiderit in famulatum, ea nè ſervorum in morem manumittitor. Si ea domino diſplicebit, nec is eam deſponderit, redhibeto. In extraneam gentem emancipandi poteſtas nè eſto, quia eam affecit ignominiâ. At ſi eam filio ſuo deſtinaverit, eodem jure cum ea quo cum liberis agito. Si aliam duxerit, hanc victu, veſtitu, congreſſu nè fraudato. Si tria hæc ei non confecerit, manumittitor gratìs ſine pretio.

Qui hominem pulſaverit, ſi is mortuus fuerit, capitale eſto. At qui non captaverit, ſed in eum fortè fortunâ incurrerit, ſtatuam vobis locum, quò confugiat. At ſi quis alterius necem per dolum de induſtria machinatus fuerit, is vel ab ara mea ad necem abſtrahitor.

Qui patrem aut matrem pulſaverit, capitale eſto.

Qui hominem clepſerit, eúmque vendiderit,

aut

aut is apud eum inventus fuerit, capitale eſto.

Qui patri aut matri maledixerit, capitis pœna eſto.

Si quis alterum ortâ contentione percuſſerit lapide, aut pugno: ſi ille non fuerit mortuus, ſed in lecto decubuerit: ſi ſurrexerit, & foras baculo innixus iverit, percuſſor ſine fraude eſto, tantùm illius cubatum & medicationem præſtato.

Si quis ſervum ſuum, aut ancillam baculo percuſſerit, ſi præſens mors ſecuta fuerit, tenetor. Verùm ſi unum aut alterum diem ſuperſtes fuerit, nè tenetor, quoniam [a] *pecunia ejus eſt.*

[a] Id eſt, ejus juris eſt, utpote emptus.

Si qui dimicando mulierem gravidam vulneraverint, & abortum intulerint: ſi pernicies non fuerit, ad æſtimationem mariti mulieris mulcta eſto, & ad eam rem arbitri ſunto. Sin autem pernicies fuerit, vitam pro vita pendito, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, ſugillationem pro ſugillatione, vulnus pro vulnere, vibicem pro vibice.

Lex talionis.

Si quis ſervi ſui, aut ancillæ oculum percuſſerit, eúmque corruperit, eum manumittito pro oculo. Et ſi ſervi ſui aut ancillæ dentem decuſſerit, eum manumittito pro dente.

Si quem bos virum, aut fœminam cornu petiverit, & is mortuus fuerit: bos lapidator, ejus caro nè comeſtor, dominus bovis impunitus eſto. At ſi bos antea fuerit petulcus, & ejus dominus admonitus fuerit, neq; tamen cuſtodierit, ſi virum aut fœminam occiderit: et bos lapidator,

pidator, & ejus dominus morte plectitor. Sin ei mulcta imponetur, tantum vitæ ſuæ pretium dato quantumcunque ei fuerit impoſitum. Sive puerum petiverit, ſive puellam, idem juris eſto. Si ſervum petiverit bos, aut ancillam; argenti triginta ſicli domino ſolvũtor, bos dilapidator.

Si quis foſſam vel aperuerit vel demiſerit, nec obduxerit, & eò deciderit bos aut aſinus; autor foſſæ præſtato, argentum domino illius ſolvito, ipſe mortuum habeto.

*Si cujus bos alterius bovẽ vulneraverit, & ille mortuus fuerit; bovem vivum vendunto, & ejus pretium dividunto, & mortuum etiam dividunto. Aut ſi notum fuerit, bovem antea eſſe petulcum, neq; eum dominus ejus cuſtodiverit; *bovem bove penſato, ipſe mortuum habeto.*

*Vivum bovem pro illo reddito.

Furti pœna cap. 22.

Si quis bovem, pecúſve clepſerit, mactaveritque, aut vendiderit; quinque boves pro uno reddito, & quatuor balantes pro una.

Si fur in ſurripiendo deprehenſus, ictus fuerit & indè mortuus; homicidii pœna nè eſto, niſi orto ſole, tum homicidii pœna eſto. Si habet unde reddat, reddito: ſi non habet, venditor pro ſuo furto.

Si deprehenſum fuerit furtum penes eum, bos, aſinus, ovis, capra vivens; duplum reddito.

Si quis emiſſo pecore compaverit fundum aut vineam alterius; damnum ſarcito de optima parte fundi ſui, aut vineæ.

Si in ſpinas immiſſus ignis, metam, aut ſege-

tem, aut meſſem corruperit, autor ignis detrimentum præſtato.

Si quis apud alterum argentum ſupellectilémve depoſuerit, ídque de illius domo ſurreptum fuerit, ſi fur deprehenſus fuerit, duplum reddito. Sin autem fur non deprehenſus fuerit, tum dominus domûs ad recuperatores vocator, ni rem alterius interverterit. Quacunque in re crimen ſtatuetur, in bove, in aſino, in ove, in capra, in veſte, quæcunque res erit amiſſa, quæ cuja dicatur, cauſa amborum ad recuperatores defertor: utrum condemnaverint recuperatores, alteri duplum reddito.

Si quis alterius fidei, aſinum, bovem, ovem, capram, aut quodvis pecus commiſerit, ſi id nullo vidente fuerit mortuum, aut fractum, aut abactum, jusjurandum Jehovæ interponitor, illum rem alterius ad ſe non avertiſſe, eámque ſatisfactionem dominus rei accipito, neque fiduciarius rem reddito.

Quòd ſi ei furto ablatum fuerit, damnum præſtato domino rei. Sin raptum à feris fuerit, teſtem exhibeto, neque raptum præſtato.

Si quis quid ab altero utendum acceperit, & id fractum aut mortuum fuerit, domino rei abſente, damnum præſtato. At præſente, nè præſtato, ſi conductitium & pretio addictum erat.

Si quis virginem non ſponſam pellexerit, & cum ea concubuerit, eam ſibi in matrimonium dotato.

Si

Si puellæ pater eam locare illi nolet; argentum pendito, ut fert dos virginum.

Sagas vivere nè ſinitote.

Quicunque rem habuerit cum beſtia, capitale eſto.

Qui diis ſacrificaverit, ſacratus intereat, niſi uni Jehovæ.

Peregrinum nè premito, néve angito: nam peregrini fuiſtis in Ægypto.

Viduam nullam, aut pupillum premito: ſi preſſeris; cùm ad me conquerentur, eorum ego querelas exaudiam, iratúſque ferro vos trucidabo: erúntque veſtræ conjuges viduæ, & liberi pupilli.

Si cui meorum pauperi tecum verſanti pecuniam mutuaveris, nè te ei fœneratorem præbeto, nè ei uſuram imponito.

Si alterius veſtem in pignus acceperis, ante ſolis occaſum reddito: nam id unum habet operimentum, eum cuticulæ amictum, in quo recubet: qui ſi apud me queſtus fuerit, exaudiam, ut ſum miſericors.

Magiſtratui nè maledicito, nec eum execrator qui eſt in tua natione princeps.

Fruges & liquorem tuum nè avertito.

Primogenitum filiorum tuorum mihi dato. Idem in bobus & balantibus facito: Septem dies cũ matre ſua eſto, octavo die id mihi dato.

Præſtatote vos mihi puros homines: & carnem in agro diſcerptã nè guſtatote, ſed ad canes projicitote. Auditionem falſam nè accipito.

Societatem cum impio nè coito, ut ſis teſtis injurius. Multitudinem in vitio nè ſequitor, néve in lite de recto in ſententiam multitudinis deflectito. Inopi in lite nè indulgeto.

Si adverſarii tui bovem, aſinúmve offenderis errantem, ei reducito. Si inimici tui aſinum videris oneri ſuccubuiſſe, nè ei auxilium denegato, ſed opitulator.

Inopis tui jus in lite nè depravato.

A re falſa abeſto. Inſontem & juſtum nè interficito: nam ego iniquum non abſolvam.

Néve donum accipito: nam donum cæcat etiam perſpicaces, bonorúmque virorum orationem pervertit. Peregrinum nè vexato: ſcitis enim vos quæ ſit mens peregrinorum, ut qui peregrini fueritis in Ægypto.

Sex annos arvum tuum conſerito, ejúſque proventum percipito: at ſeptimo intermittito, remittitóque ad cibatum egenorum popularium tuorum & (ſi quid illis ſuperfuerit) beſtiarum terreſtrium. Idem in vinea & oliveto facito.

Sabbatum. *Sex diebus opus tuum patrato: at ſeptimo feriator: ut requieſcat bos tuus aſinúſque, útque reſpiret natus ancillæ tuæ peregrinúſque.*

Omnia quæcunque dixi vobis ſervatote.

Nominis alienorum deorum memoriam nè uſurpato, néve in ore habeto.

Tribus temporibus in anno mihi feſta agito. Azyma alia ſervato, per quæ ſeptem dies Azymis veſcêris (ut præcepi tibi) ſtatuto tempore menſis

menſis verni, quia in eo emigrâſti ex Ægypto: ergò coram me vacui nè apparento item Meſſalia primitivarum frugum operis tui, quas in agro ſeveris. Item Conditalia in exitu anni, ubi tuas fruges ex agris condideris.

Ter quotannis omnes tui mares in conſpectum Domini Jehovæ ſiſtuntor.

Cùm meæ victimæ ſanguinem, eam mactando, effundes, fermentum nè habeto.

Mei feſti adeps in poſterum diem nè pernoctato. Principium primitivarum frugum tui fundi in ædem Jehovæ tui inferto.

Hœdum in ſanguine matris ſuæ nè coquito.

DIALOGORUM SACRORUM LIBER PRIMUS.

Catalogus.

Adamus. Pag. 1.
Cainus. 3
Lotus. ibid.
Abrahamus. 9
Ephron. 10
Rebecca. 11
Idumus. 13
Venator. 14
Jacobus profugus. 16
Laban. 17
Jacobus redux. 20
Joſephus venditus. 21
Joſephus captivus. 23
Joſephus conjector. 24
Joſephus agnitus. 26
Moſes expoſitus. 29
Dumus. 30
Vitulus. 33
Conquerentes. 34
Calebus. 36
Balaamus. 39
Transjordani. ibid.
Racbaba. 41
Gabaonita. 43
Joſua. 44
Jaël. 46
Gedeon triturans. 47
Gedeon. 48
Jephtha. 50
Rutha. 51
Boozus. 52
Diſcalceatus. 53
Samſon. 55

LIBER II.

Elis. 56
Saulus. 57
Samuel. 58
Sortilegium. 61
Obedientia. ibid.
Goliathus. 63
Jonathan. 67
Novilunium. 69
Achimelechus. ibid.
Doëgus. 70
David latitans. 71
Abigail. 73
Abiſæus. 76
Phœbas. 77
Achis. 79
Amalechita. 80
Nathan. 81
Thecuana. 83

Semein

Semeis. 84
Achitophel. 85
Abſalomus. 87
Berzelæus. 89
Bethſaba. 90
Solomon. 92
Roboamus. ibid.
Sarephthana. 93
Elias. 94
Michæas. 99
Sunamitis. 101
Naaman. 102
Hazaël. 105
Jehus. ibid.
Joas. 108
Jonas. ibid.
Rabſaces. 111
Ezechias. 113
Jeremias. 115
Ananias. 117
Sedecias. 119

LIBER III.

Tobias. 120
Aſmodæus. 124
Raguel. 127
Tobæus. 128
Raphaël. 129
Achior. 130
Juditha. 133
Olofernes. 136
Virago. 139
Suſanna. 143
Chaldæi. 145
Daniel. 146
Fornax. 148
Balſaſar. 152
Haman. 154
Artaxerxes 156
Nehemias. ibid.
Veritas. 158

LIBER IIII.

Maria. 162
Baptiſta. 163
Nathanaël. 165
Nicodemus. ibid.
Samaritana. 167
Centurio. 169
Piſcatores. ibid.
Simon. 170
Jairus. 171
Philippus. 172
Panis. 173
Præpoſteri. 176
Chananæa. 177
Fermentum. 178
Claviger. 179
Lunaticus. 180
Lapidantes. 181

Cæcus

INDEX.

Cæcus natus. 184
Renovalia. 188
Thomas. 189
Lazarus. ibid.
Repudium. 191
Dives. 192
Dives immiſericors. 194
Filii Zebedæi. 195
Vinitores. ibid.
Denarius. 198
Sadducæi. ibid.
Petrus. 200
Pilatus. 203
Barrabas. 204
Simon. 205
Lingua. 206
Claudus. 209
Primates. 211
Gamaliel. 213
Stephanus. 214
Cornelius. 219
Circumciſi. 221
Rhode. 222
Philoſophi. 223
Lyſias. 224
Ananias. 227
Nepos Pauli. 228
Tertullus. 229
Feſtus. 231
Judex. 234

FINIS.

which from and after the ſaide feaſte ſhal vſe and exercíſe the occupacion of rowing betwixt Graueſende & Windſoꝛ afoꝛeſaide, which in the time of the execucion of any commiſſion of pꝛeſtig that ſhal be had foꝛ the ſeruice of ẏ kig & Queenes maieſties, and the heyꝛez & ſucceſſours of the Queenes maieſtie, ĩ their affaires, ſhal willingly, voluntarely & obſtinately, withdꝛawe hyde, oꝛ conuey hym oꝛ themſeluez in the ſame time of pꝛeſting, into ſecret placez, and out coꝛners, and after when ſuch time of pꝛeſting is ouerpaſſed ſhall returne and come againe to the ſaide Riuer of Thamiſe, to rowe betwixt Graueſẽde & Windeſoꝛe afoꝛeſaide, & that duelye pꝛoued by two indifferent witnes, befoꝛe the ſaid maioꝛ and court of aldermen, oꝛ Juſtices of the peace, and two

Rowinge.

Pꝛeſtinge.

Withdꝛawe.

Pꝛoued.

diſcrecion of the ſaid ouerſeerz and rulers foꝛ the time beinge. And alſo that the ſaide ouerſeers and rulers, ſhall & may by auctoꝛitie of this acte, ouerſee view and ſurueye, at all & euerie tyme and times hereafter, all maner boatez and whiries, that ſhall from and after the ſaid feaſte be made, befoꝛe the ſaid bote oꝛ botes, whirie oꝛ whiries be lãched out of the yard oꝛ ground wherein ẏ ſame bote oꝛ botez, whirie oꝛ whiries, ſhall foꝛtune to be made, into the ſaid riuer of Thamys, to the intente that they and euery of them maye bee made and pꝛepared in ſuch maner and foꝛme, and accoꝛding to the goodnes, pꝛopoꝛtion and quantitie in this p̄ſent act befoꝛe limitted and expꝛeſſed. And be it. &c. that if anye perſon oꝛ perſons, whiche at any time hereafter ſhall be

Suruey. Boates.

perſon oꝛ perſonez where two water men & not aboue the number of twoe ſhal rowe together in one bote oꝛ whiry, in any place oꝛ placez betwixt Grauesende & Windeſoꝛe afoꝛeſaide, ſhal p̃ſume oꝛ enterpꝛiſe to receyue oꝛ take any perſon oꝛ perſons into his oꝛ theyꝛ bote oꝛ whirie, to the intent to cary oꝛ conuey him oꝛ them therin, oneles one of the ſame two water men, haue ben foꝛ the moſte parte exerciſed and vſed in rowing vpō the ſaid riuerz of Thamiſe by the ſpace of two whole yeares befoꝛe the time. And that alſo one of yͤ ſame two watermen at the leaſte, be duely admitted & allowed by the ſame eight ouerſeers and rulers oꝛ yͤ moſte part of them by wꝛitinge vnder theyꝛ knowē ſeale, to be a ſufficient and hable waterman vpon paine that euerye

ſaid ouerſeers & rulerz, oꝛ two of thē oꝛ yͤ maiſter oꝛ maiſters of anye ſuch ſeruants, not oneli to examine, heare & determine al complaints and offences to be done oꝛ committed by any ſuch perſon oꝛ perſones that ſhall offende contrary to the true meaning of this pꝛeſent acte, and to ſet at large all and euery ſuche perſon and perſons, as ſhal foꝛtune to be impꝛiſoned by the ſaid ouerſeers and rulers accoꝛdinge to this act if iuſt cauſe ſhall appeare vnto thē ſo to do. But alſo by their good diſcreciōnz and wiſedome to puniſhe, coꝛrect and refourme the ſaide ouerſeers and rulers, and euery of thē that ſhall iuſtlye, oꝛ wythout good cauſe oꝛ grounde puniſhe anye perſon oꝛ perſonnes, by colour of this pꝛeſent act, oꝛ any thing therein conteined. And be it &c. that if

Determine.

A large.

Refoꝛme: Rulers,

knowē ſeale, to be a ſufficient and ha-
ble waterman vpon paine that euerye
ſhall from and after the ſaide feaſte of
Penthecoſt next comming vſe or exer-
ciſe to rowe betwixt Graueſende and
Windeſore aforeſaide onleſſe hee or
thei be prentice or prentices, or in ſer-
uice retayned with a Mayſter by the
whole yeare at the leaſte vppon paine
of like impriſonment. And alſo be it. &c
that the lorde Maior of London and ẏ
Aldermen of the ſame Citie, and the
Juſtices of peace within ẏ ſhires next
adioyning to ẏ ſaid riuer of Thamiſe
euery of them within their ſeueral iu-
riſdiccions and aucthorities, ſhall haue
full power and aucthoritie by vertue
of this preſent acte, vppon complainte
made to them or anye of them by the

...ntice, ...ained. ...don. ...,of p.

colour of this preſent act, or any thing
therein conteined. And be it &c. that if
according to the olde quantitie, ſcante-
ling, thyckenes of boorde, goodneſſe, &
goo proporcion, heretofore hadde and
vſed: ẏ thē the ſame boate or botes, ſo
being made contrary to the proporciō
and ſorte before expreſſed, ſhalbe takē
as forfait, and ſhalbe forfaite, the one Forf.
halfe therof to the kinge and Queenez
maieſtiez vſe, and to the vſe of the heirz
and ſucceſſoures of the Queenes ma-
ieſtie. And the other halfe to hym or
theym that wyll ſue. &c. wherein
noe wager of lawe. &c. ſhall be al-
lowed.

And be it &c. ẏ if any perſon or perſōs

whiche

by the ſpace of one whole yeare and a daye, then next folowing. And be it. &c that it ſhalbe lawfull to the ſaide viij. rulers for the time beinge, and theyre ⁊ cal before them at ſome conuenient place, by them to be appointed all and euery ſuch perſon ⁊ perſonz, which frō and after the ſaide feaſt of Penthecoſt ſhall occupye ⁊ vſe the ſaid trade ⁊ occupacion of rowinge betwixt Graueſende and Windeſor aforeſaide ⁊ ſhall enter and regeſter the name ⁊ names of them, and euery of them that ſhalbe by them allowed or admitted for watermen, to rowe betwixt Graueſende ⁊ Windeſor aforeſaide, in a booke to be made for the ſame intent and purpoſe, and to take ſuche further order, ⁊ direction therein, wͨ euery of the ſaid ꝑties, by thauctoritie of this ꝑſent act, as it ſhal ſeeme meete ⁊ neceſſary by the

Rulers.

Regiſtre.

Direction,

the rowme or rowmes, place or placez of anye the ſaide ouerſeers or rulers: that then all and euery ſuch offender, or offenders ſo offending, ſhall loſe ⁊ lawful mony of Englande. The one halfe thereof ſhal be to oure ſoueraigñ lorde and ladye the Kinge ⁊ Queenes maieſties vſe, ⁊ to thuſe of the heyres and ſucceſſours of the Queenes maieſties, and thother half to him or them, that will ſue for the ſame in any of ỹ king ⁊ quenes maieſtiez courtes of recorde, by action of dette, or by any other the wayes or meanes aboue ſpecified wherin no wager of lawe, eſſoine ꝓtecciō, or iniunction, ſhalbe admitted or allowed, for ỹ defendāt or defēdāts. And be it. &c. ỹ the ſaid maior ⁊ courte of aldermē of ỹ ſaid citie of Lōdō, for ỹ time beīg ſhal frō time to time at their diſ-

Refuſe,

Forf.

London.

... place oꝛ placez Retule,